

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvllii Ciceronis De Finibvs Bonorvm Et Malorvm Librvm II.
Commentarius Aldi Mannuccij

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770549)



I N
M . TVLLII . CICERONIS
D E . FINIBVS
BONORVM . ET . MALORVM

L I B R V M . II .

Commentarius Aldi Mannuccij.



E X P L I C A T I O

C I C E R O



HIC CVM uterque me intue-
retur, se seq. ad audendum si-
gnificarent paratos, primū, in
quam cleprecor, ne me, tāquā
philosophū, putetis scholā no-
bis aliquā explicaturū: quod
ne in ipsis quidem philosophis
magnopere unquā probaui.

quando enim Socrates, qui
parens philosophiæ iure dici potest, quidquam tale fe-
cit: eorum erat iste mos, qui tum sophistæ nominaban-
tur: quorum e numero primus est ausus Leontinus
Gorgias in conuentu postere quaestionem, id est inbere
dicere, qua de re quis uellet audire. audax negotium: di-
cerem, impudens, nisi hoc institutum postea transla-
tum ad philosophos nostros esset. sed & illum, quem
nominauit, & ceteros sophistas, ut e Platone intelli-

gimus, uisus uidemus a Socrate. is enim percunctan-
do, atque interrogando elicere solebat eorum opi-
niones, quibuscum differebat; ut ad ea, quae ij re-
spondissent, si quid uideretur, diceret. qui mos cum
a posterioribus non esset retentus, Arcefilas eum
reuocauit, instituitq., ut ij, qui se audire uellent,
non de se quaerent, sed ipsi dicerent, quid senti-
rent. quod cum dixissent, ille contra. sed qui audie-
bant, quoad poterant defendebant sententiam suam:
apud ceteros autem philosophos, qui quaesuit ali-
quid, tacet. quod quidem iam fit etiam in Acade-
mia. ubi enim is, qui audire uult, ita dixit; uolu-
ptas mihi uidetur esse summum bonum: perpetua ora-
tione contra disputatur: ut facile intelligi possit, eos,
qui aliquid sibi uideri dicant, non ipsos in ea sententia
esse, sed audire uelle contraria.

E X P L A N A T I O

SOPHISTAE ξ ἀπὸ τοῦ σοφῶν dicti, hoc est sapientes. nunc abiit nomen in rem plane ridicu-
lum. ARCESILAS ξ Hunc Cicero in plerisque locis citat, & auctorem facit nouae Aca-
demiae, nihil affirmantis.

H C I C E R O

CICERO

Nos commodius agimus, non enim solum Torquatus dixit, quid sentiret, sed etiam cur, ego autem arbitror, quamquam admodum delectatus sum eius oratione perpetua, tamen commodius, cum in rebus singulis insistas, & intelligas quid quisque concedat, quid abnuat, ex rebus concessis concludi quid uelis, & ad exitum perueniri. cum enim fertur quasi torrens oratio; quamuis multa cuiusque modi rapiat; nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coarctas. omnis autem in quaerendo, quae uia quadam, & ratione habetur, oratio praescribere primum debet, ut quibusdam in formulis ea res agatur, ut, inter quos differitur, conueniat, quid sit id, de quo differatur. hoc positum in Phaedro a Platone probauit Epicurus, sensuque in omni disputatione fieri oportere: sed, quod proximum fuit, non uidit: negat enim definiri rem placere: sine quo fieri interdum non potest, ut inter eos, qui ambigunt, conueniat, quid sit id, de quo agatur: uelut in hoc ipso, de quo nunc disputamus. quaerimus enim in finem bonorum: possumus ne scire, hoc quale sit, nisi contulerimus inter nos, cum finem bonorum dixerimus,

quid finis, quid etiam sit ipsum bonum? atqui haec patefactio quasi rerum operatarum, cum, quid quidque sit, aperitur, definitio est: qua tu etiam imprudens uicere non numquam: nam hunc ipsum siue finem, siue extremum, siue ultimum, de finiebas, id esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur, neque id ipsum usquam referretur, praecclare hoc quidem, bonum ipsum etiam quid esset natura appetendum; aut quod prodesset, aut quod inuaret; aut quod liberet. modo idem, nisi molestum est; quoniam tibi non omnino displicet definire, & id facis cum uis; uelim definire, quid sit uoluptas; de quo omnis haec quaestio est. Quasi quis, inquit, sit, qui, quid sit uoluptas, nesciat, aut qui, quo magis id intelligat, de finitionem aliquam desideret. Me ipsum esse dicerem, inquam, nisi mihi uiderer habere bene cognitam uoluptatem, & satis firme conceptam animo, atque comprehensam. nunc autem dico ipsum Epicurum nescire, & in eo nutare, eumque, qui crebro dicat, diligenter oportere exprimi, quae uis subiecta sit uocibus, non intelligere interdum, quid sonet haec uox uoluptatis, id est, quae res huic uoci subiiciatur.

EXPLANATIO

VT quibusdam in formulis, ea res agatur, &c. Rectus uidetur sic: Ut quibusdam in formulis, quae res agatur &c. Sic lib. v. Si est quisquam, qui acute in causis uidere solet, quae res agatur. Et de Fato: Haec differens, qua de re agatur, & in quo causa consistat, non uidet. Et in Bruto: Qua de re agatur, illud, quod multis locis in iuriconsulcorum includitur formulis, id ubi esset, non uidebat. & Plato in Phaedro. *Περὶ οὗ ἀγὼν ἐν κοινῇ.* BONVM ipsum etiam &c. hae definitiones omnes ex Platone: *Τὸ δὲ αἰετὸν, τὸ ἀφελούν, τὸ ἰσόχρητον ἀγαθόν.* AUT quod inuaret, aut quod liberet. modo idem, nisi molestum est &c. Mirum, quas pulcherrimis sententijs tenebras afferat non optime percepta ratio distingueri, quod & saepe iam ostendi, & saepe ut ostendatur, uideo futurum. hic quidem, non dubito, quin interpungendum ita sit: Aut quod inuaret; aut quod liberet modo, idem &c.

CICERO

TUNC ille ridens, Hoc uero, inquit, optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum uoluptatem esse dicat, id extremum, id ultimum bonorum, id ipsum quid sit, quale sit, nesciat. Atqui, inquam, aut Epicurus, quid sit uoluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, ne sciunt. Quoniam, inquit, modo? Quia uoluptatem hanc esse sentiunt omnes, quam sensus accipiens mouetur, & incunditate quadam perfunditur. Quid ergo, inquit, istam uoluptatem Epicurus ignorat? Non semper, inquam, nam interdum nimis etiam nouit, quippe qui testificetur ne intelligere quidem se posse, ubi sit, aut quid sit ullum bonum, praeter illud, quod cibo, aut potione, & aurium delectatione, & obscena uoluptate capiatur.

an haec ab eo non dicuntur? Quasi me pudeat, inquit, istorum; aut non possim, quemadmodum ea dicantur, ostendere. Ego uero non dubito, inquam, quin facile possis: nec est, quod te pudeat sapienter assentiri, qui se unus, quod sciam, sapientem praestitum sit ausus. nam Metrodorum non putant ipsum professum; sed, cum appellaretur ab Epicuro, repudiare tantum beneficium noluisse. septem autem illi, non suo, sed populi omnium suffragio nominati sunt. Verum hoc loco sumo, uerbis his eandem certe uim uoluptatis Epicurum nosse, quam ceteros. omnes enim incundum motum, quo sensus hilarantur, Graece ἡδονή, Latine uoluptatem uocant.

CICERO

QUID est igitur, inquit, quod requiras? Dicam, inquam, & quidem discendi causa magis, quam quo te, aut Epicurum reprehensum uelim. Ego quoque,

inquit, didicerim libentius, si quid attuleris, quam te reprehenderim. Tenes ne igitur, inquam, Hieronymus Rhodius quod dicat esse summum bonum, quo putet omnia referri

referri oportet? Teneo, inquit, finem illi uideri, nihil dolere. Quid idem iste de uoluptate quid sentit? Negat esse eam, inquit, propter se ipsam expetendam. Aliud igitur esse censet, gaudere; aliud, non dolere. Et quidem, inquit, uehementer errat, nam, ut paullo ante docui, augendae uoluptatis finis est, doloris omnis amotio. Tñ. non dolere, inquam, istud quam uim habeat, postea uidero: aliam uero uim uoluptatis esse, aliam nihil dolendi, nisi ualde pertinax fueris, concedas necesse est. At qui reperies, inquit, in hoc quidem pertinacem. dici

enim nihil potest uerius. Est ne, quae so, inquam, sitienti in bibendo uoluptas? Quis istud, inquit, posset negare? eadem ne, inquam, quae restincta sitis? Immo alio genere. nam restincta sitis stabilitatem uoluptatis habet, inquit, illa autem uoluptas ipsius restinctionis, in motu est. Cur igitur, inquam, res tuam dissimiles eodem nomine appellas? Quid paullo ante, inquit, dixerim, non ne meministi? cum omnis dolor detractus esset, uariari, non augeri uoluptatem.

C I C E R O

MEMINI uero, inquam: sed tu istud dixisti bene Latine, parum plane. uarietas enim Latinum uerbum est, idq. proprie quidem in disparibus coloribus dicitur, sed transfertur in multa disparia, uarium poema, uaria oratio, uarij mores, uaria fortuna, uoluptas uaria etiam dici solet, cum percipitur ex multis dissimilibus rebus, dissimiles efficientibus uoluptates. eam si uarietatem diceres, intelligerem, ut, etiam non dicente te, intelligo: ista uarietas quae sit, non satis perspicio; quod ais; cum dolore careamus, tum in summa uolupta

te nos esse cum autem uescamur ijs rebus, quae dulcem motum afferant sensibus, tum esse in motu uoluptatem, quae faciat uarietatem uoluptatum, sed non augeri illam non dolendi uoluptatem quam cur uoluptatem appelles, nescio. An potest, inquit ille, quidquam esse suauius, quam nihil dolere? Immo sit sane nihil melius, inquam: nondum enim id quaero: num propterea idem uoluptas est, quod, ut ita dicam, indolentia? Plane idem, inquit, & maxima quidem, qua fieri nulla maior potest.

C I C E R O

QUID dubitas igitur, inquam, summo bono a te ita constituto, ut id totum in non dolendo sit, id tenere unum, id ueri, id defendere? quid enim necesse est, tanquam meretricem in matronarum coetum, sic uoluptatem in uirtutum concilium adducere? sed inuidiosum nomen est, & infamiae subiectum. itaq. hoc frequenter dici solet a uobis, non intelligere nos, quam dicat Epicurus uoluptatem. quod quidem mihi si quando dictum est, (est autem dictum non parum saepe) etsi satis elemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. ego ne non intelligo, quid sit uoluptas? Graece, Latine uoluptas, utram tandem linguam nescio? de inde, qui sit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicumque Epicurei esse uoluerunt? quod nostri quidem uel optime disputant, nihil opus esse eum, qui philosophus futurus sit, scire litteras. itaque, ut maiores nostri ab ara tro abduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator esset: si cuos de Pelasgis omnibus colligitis bonos illos quidem uiros, sed certe non pereruditos. ergo illi intelligunt, quid Epicurus dicat, ego non intelligo? ut scias me intelligere, primum, idem esse uoluptatem, dico, quod ille uoluptatem. & quidem saepe quaerimus uerbum Latinum par Graeco, & quod idem ualeat; hic nihil fuit, quod quaeremus, nullum inueniri potest, quod magis idem declarat Latine, quod Graece, quam declarat uoluptas.

luptas. huic uerbo omnes, qui ubique sunt, qui Latine sciunt, duas res subiiciunt, laetitiam in animo, commotionem suauem iucunditatis in corpore. nam & ille apud Trabeam, uoluptatem animi nimiam, laetitiam dicit, eandem, quam ille Caecilianus, qui omnibus laeticij laetum esse se narrat. sed hoc interest, quod uoluptas dicitur etiam in animo uitiosa res, ut Stoici putant, qui eam sic definiunt, sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui; non dicitur laetitia, nec gaudium in corpore. in eo autem uoluptas omnium Latine loquentium more ponitur, cum percipitur ea, quae sensum aliquem moueat, iucunditas. hanc quoque iucunditatem, si uis, transfer in animum: iurare enim in utroque dicitur, ex eo iucundum: modo intelligas, inter illum, qui dicat,

— Tanta laetitia auctus sum,

— Ut mihi non constem;

& cum, qui,

— Nunc demum mihi animus ardet;

quorum alter laetitia gessit, alter dolore crucietur, esse illum medium.

Quamquam haec inter nos nupera notitia admodum est, qui nec laetetur, nec angatur: itemq. inter eum, qui potitur ex petitis corporis uoluptatibus, & eum, qui crucietur summis doloribus, esse eum, qui utroque careat.

EXPLANATIO

DE Pelasgis omnibus colligitis? Pelasgi populi errabundi primum habitauere partem Peloponnesi, quae Arcadia dicitur, unde fuit Pelasgus: deinde partem Thessaliae: postea dispersum est genus illud in uarias terrae partes, & πολυπλαγκτος dictum. Cicero igitur, alludens ad uarias terrae plagas, quas Pelasgi incolunt, dicit Epicureos colligere discipulos ex Pelasgis, hoc est ex uarijs hominum nationibus. A P V D Trabeam? indicat Quintum Trabeam, poetam comicum, cuius nihil exitat, praeter id, quod citat M. Tullius, & adducit Nonius Marcellus. TANTA laetitia

via auctu sum, Et mihi non constem; 3 Iambicus est non Epicuri, qui nusquam legitur carmen scripsisse: sed alterius cuiusdam poetae amici. Nunc demum mihi animus ardet; 3 Plauti hoc esse carmen, quidam, ut uolunt, in nullo argumento probant.

CICERO

Satis ne igitur uideor uim uerborum tenere, an sum etiam nunc uel Graece loqui, uel Latine docendus? & tamen uide, ne, si ego non intelligam quid Epicurus loquatur, cum Graece, ut uideor, luculenter sciam, sit aliqua culpa eius, qui ita loquatur, ut non intelligatur. quod duobus modis sine reprehensione fit: si aut de industria facias, ut Heraclitus, cognomento qui *κροτύος* perhibetur, quia de natura nimis obscure memorauit: aut cum rerum obscuritas, non uerborum, facit, ut non intelligatur oratio: qualis est in Timaeo Platonis. Epicurus autem, ut opinor, nec non uult, si possit, plane, & aperte loqui; nec de re obscura, ut physici, aut artificiosa, ut mathematici, sed de illustri, & facili, & iam in uulgus peruagata, loquitur. quamquam non negatis nos intelligere, quid sit uoluptas, sed quid ille dicat. e quo efficitur, non ut nos non intelligamus, quae uis sit istius uerbi; sed ut ille suo more loquatur, nostrum negligat. si enim idem dicat, quod Hieronymus, qui censet summum bonum esse, sine ulla molestia uiuere: cur mauult dicere uoluptatem, quam uacuita-

tem doloris? ut ille facit; qui quid dicat, intelligitur. sin autem uoluptatem putat; dicat adiungendam ad illam, quae in motu sit, (sic enim appellat hanc dulcem in motu) illam nihil dolentis in stabilitate: quid tendit, cum efficere non possit, ut cuiquam, qui ipse notus sibi sit, hoc est qui suam naturam, sensumque perspexerit, uacuitas doloris, & uoluptas idem esse uideatur? hoc est uim asserre, Torquate, sensibus, extorquere ex animis cognitiones uerborum, quibus imbuti sumus. quis enim est, qui non uideat haec esse in natura rerum tria? & unum, cum in uoluptate sumus: alterum, cum in dolore: tertium hoc quidem, in quo nunc sumus. credo quidem uos nec in dolore, nec in uoluptate esse: cum in uoluptate sint, qui epulentur; in dolore, qui torqueantur. tu autem inter haec tantam multitudinem hominum interiecitam non iudes nec laetantium, nec dolentium? non profus, inquit: omnesque, qui sine dolore sint, in uoluptate, & ea quidem summa, esse dico. Ergo in eadem uoluptate eum, qui alteri misceat mulsum, ipse non sitiens; & eum, qui illud sitiens bibit?

EXPLANATIO

VOLUPTATEM putat. 3 id est, summum bonum esse.

CICERO

TVM ille, finem, inquit, interrogandi, si uidetur: quod quidem ego a principio ita me male dixeram, hoc ipsum prouidens, dialecticas captiones. Rhetorice igitur, inquam, nos mauis, quam dialectice, disputare? Quasi uero, inquit, perpetua oratio rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. Zenonis est, inquam, hoc Stoici, omnem uim loquendi, ut iam ante Aristoteles, in duas tributam esse partes: rhetoricam palmarum, dialecticam pugno similem esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius, obsequar igitur uoluntati tuae: dicamque, si potero, rhetorice, sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi: quam necesse est, cum populariter loquamur, esse interdum paullo hebetiorem. Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quae una continet omnem & perspicendi, quid in quaque re sit, scientiam, & iudicandi quale quid sit, ac ratione, & uia disputandi, in dicendo, in uim uideor, ut nec ea, quae

docet, uult ulla arte distinguere: ut haec ipsa, quae modo loquebamur. Summum a uobis bonum uoluptas dicitur. aperiendum est igitur, quid sit uoluptas. aliter enim explicari, quod quaeritur, non potest. quam si explicauisset, non tam haesitaret. aut enim eam uoluptatem tueretur, quam Aristippus, id est qua sensus dulciter ac iucunde mouetur, quam etiam pecudes, si loqui possent, appellarent uoluptatem: aut, si magis placeret suo more loqui, quam ut

Omnes Danaei, aut Mycenenses, Attica pubes, reliquique Graeci, qui hoc anapaesto citantur; hoc, non dolere, solum uoluptatis nomine appellaret, illud Aristippeum contemneret: aut, si utrumque probaret, ut probat, coniungeret doloris uacuitatem cum uoluptate, & duobus ultimis uteretur. multi enim, & magni philosophi haec ultima uoluptatis uirtutis iuncta fecerunt, ut Aristoteles, qui in uirtutis uisum cum uirtutis perfectae prosperitate coniunxit.

EXPLANATIO

HOC Anapaesto 3 Anapaestus est apud Plautum in Amphitryone: Volupe, Volupe est mihi.

CICERO

C I C E R O

CALLIPHO adiunxit ad honestatem uoluptatem. Diodorus ad eandem honestatem addidit uacuitatem doloris. idem fecisset Epicurus, si sententiã hãc, quae nunc Hieronymi est, coniunxisset cum Aristippi uerere sententiã. illi enim inter se dissentiunt: propterea singulis finibus utuntur: & cum uterque Graece egregie loquatur, nec Aristippus, qui uoluptatem summum bonum dicit, in uoluptate ponit nõ dolere; neque Hieronymus, qui summum bonum statuit non dolere, uoluptatis nomine unquam utitur pro illa indolentia; quippe qui ne in expetendis quidem rebus numeret uoluptatem. duae sunt enim res quoque: ne tu uerba solū putes. unum est, sine dolore esse: alterum, cum uoluptate. nos ex his tam dissimilibus rebus non modo nomen unum; (nam id facilius pateret) sed etiam rem unam ex duabus facere conamini: quod fieri nullo modo potest: hic, qui utramque probat, ambobus debuit uti, sicut facit, neque tamen diuidit uerbis. cum enim ipsam eam

uoluptatem, quam eodem nomine omnes appellamus, laudat locis plurimis, audeat dicere, ne suspicari quidem se ullum bonum seiunctum ab illo Aristippeo genere uoluptatis. atque ibi hoc dicit, ubi omnis eius est oratio de summo bono. in alio uero libro, ubi, breuiter comprehensis grauissimis sententijs, quasi oracula edidisse sapientiae dicitur, scribit his uerbis: quae nota tibi profecto, Torquate, sunt: quis enim uestrum non edidit Epicuri *xvptas dōgas*, id est maxime ratas? quia grauissimae sint ad beate uiuendum breuiter enunciatæ sententiæ. animaduerte igitur, recte ne hanc sententiã interpretes. Si ea, quae sunt luxuriosis efficiuntia uoluptatum, liberarent eos deorum, & mortis, & doloris metu, docerentq. qui essent fines cupiditatum: nihil haberem, quod reprehenderem; cum undiq. complerentur uoluptatibus, nec haberent ulla ex parte aliquid, aut dolens, aut aegrum, id est, aut malum.

EXPLANATIO

NEQVE tamen & antea, Remq. tamen, correxi ex antiquo libro, sententiã etiam postulante. nam Epicurus, cum uoluptatem, finem bonorum, complectitur indolentiam, neque tamen eo uerbo utitur. Haec Paullus pater. *EPICURI xvptas dōgas*, id est maxime ratas? & Alienum esse, & omnino delendum illud puto. Id est maxime ratas est enim adscripta ad, *xvptas dōgas*, interpretatio, nec tamen intelligenter. non enim *xvptas dōgas*, Latine est, maxime ratas, sed firmas sententiã: de quibus lib. I. de nat. de. In illis, inquit, selectis eius, breuibusq. sententijs, quas appellatis *xvptas dōgas*. Haec Paullus pater.

C I C E R O

HOC loco se tenere Triarius nõ potuit. Obsecro, inquit, Torquate, haec dicit Epicurus? Quod, mihi quidem uisus est, cum sciret, uelle tamen confitemi audire Torquatam. At ille non pertimuit, saneq. fidenter, illis qui tem ipsi uerbis, inquit: sed, quid sentiat, non uidetis. Si alia sentiat, inquam, alia loquitur: nõquam intelligam, quid sentiat: sed plane dicit, quod intelligam: idq. si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si sapientes sint, dicit absurde, similiter, & si dicat, non reprehendendos parricidas, si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem. & tamen quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dare? aut fingere aliquos, qui, cū luxuriose uiuerent, a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine dumtaxat, cetera cauerent? sed tamen non ne reprehenderes, Epicure, luxuriosos ob eam ipsam causam, quod ita ui-

uerent, ut persequerentur cuiusque modi uoluptates? cum esset praesertim, ut ais tu, summa uoluptas, nihil dolere? atqui reperiemus a sotos primum ita non religiosos, ut edant de patellis; deinde ita mortem non timētes, ut illud in ore habeant ex Hymnide,

Mibi sex menses sati sunt uitae: septimum Orco spondeo.

Iam doloris medicamenta illa Epicurea tamquam de narthecio promant: si grauis, breuis: si longus, leuis. unum nescio, quo modo possit, si luxuriosus sit, finitas cupiditates habere. quid ergo attinet dicere, nihil haberem, quod reprehenderem, si finitas cupiditates haberent? hoc est dicere; non reprehenderem a sotos, si nõ essent a soti. isto modo, ne improbos quidem, si essent boni uiri.

EXPLANATIO

SIMILITER & & Aut, Similiter ut, legendum uidetur: aut ueteres, Similiter, ita cum Et iunxisse, ut cum Ac, Atque, Ut, putandum est. quod interdum suspicor: utpote, cum saepe animaduertim, Aequè &, scriptum in antiquis libris, ubi est in recentioribus Aequè ut. Haec Paullus pater. Si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem. } Totus hic locus praepostero uerborum ordine ita perturbatus est, ut elicere sententiã nullo modo liceat. &, ne lectorem multis morer, uerba recitabo, non ut legantur in omnibus libris, sed ut uideatur sententiã postulare. Si ita dicit, non esse reprehendendos

dos luxuriosos, si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem; dicit absurde; similiter, & si dicat, non reprehendendos paricidas, si sapientes sint. etenim, quid attinet luxuriosos ullā exceptionem dare? aut fingere aliquos, qui, cum luxuriose uiuerent, cetera cauerent, a summo philosopho nō reprehēderentur eo nomine dumtaxat? sed tamen non ne, &c. Lego autem, nec dubitanter quin recte, Etenim quid attinet, ubi est in omnibus libris, Et tamen quid att. Haec Paullus pater. Vt edant de patella; & quae scilicet sacris admovebatur. Prouerbium aduersus eos, qui religionem nihili faciūt. apud Nonium Marcellum Varro in Manio hunc locum explicat, his uerbis; Quocirca oportet bonum ciuem legibus parere, & deos colere, in patellam dare *μικροχρῆμα*, id est partiam carnem. Ex Hymnide, & Menandri fabula, a Caecilio cōuersa. Nonius in uerbo, Blatterare, & Licitari. TAMQVAM de narthecio & Factum est adagium. γὰρ θύξ Latinis est ferula, species fruticis, habēs calamum fungolum, quo caelestis ignis a Prometheo surreptus traditur. Hermolaus in Coroll. Dioscoridi additis, ait, esse iuueni ferulae fulcimētum senectuti aptū, ob leuitatem. NIHIL haberem, quod reprehenderem, & Athenaeus lib. x. Οὐκ ἔστι γὰρ οὗτος ὁ σοφὸς καὶ τῶν ἀσώτων βίον ἀνεπίλητον εἶναι, εἰ περ αὐτῶν προσήγοιο τὸ ἀδείξαι, καὶ τὸ ἴλασθαι.

CICERO

Hic, homo seuerus luxuriam ipsam per se reprehendendam non putat. & hercule, Torquate, ut uerum loquamur, si uoluptas summum bonum est, rectissime nō putat. nolim enim mihi fingere aotos, ut soletis, qui in mensam uomant; & qui de conuiujs auferantur, crudiq. postridie se rursus ingurgient; qui solem, ut aiunt, nec occidentem unquam uiderint, nec orientem; qui, consumptis patrimonijs, egeant. nemo nostrum istius generis aotos incunde putat uiuere mūdōs, elegantes, optimis coquis, piscatoribus, piscatu, aucupio, uenatione, his omniibus exquisitis, uitantes crudelitatem, quibus

Vinum diffusum e pleno sit oenophoro, ut ait Lucilius, cui

Nil dempsit nix, & sacculus abstulerit:

adhibentes ludos, & quae sequuntur, illa, quibus detractis, clamat Epicurus se nescire quid sit bonum. adfuit etiam formosi pueri, qui ministrant: resplendet his uestis, argentum, odrilitium, locus ipse, aedificium. hos ego aotos bene quidem uiuere, at beate numquam, dixerim. ex quo efficitur, non ut uoluptas ne sit uoluptas, sed ut uoluptas non sit summum bonum. Nec ille, qui Diogenem Stoeicum adolescens, post autem Panactium audierat, Laelius, eo dictus est sapiens, quod non inteligeret, quid suauissimum esset, (nec enim sequitur, ut, cui cor sapiat, ei non sapiat palatus (sed quia parui

id duceret.

O lapathe, ut iactare necesse est, cognitiui cui sis.

In quo Laelin' clamores sophos ille solebat

Edere, compellens gonas ex ordine nostros,

Laeliu' praeclare, & recte sophos: illudq. uere;

O Publi, o uirga Galloni, es homo miser, inquit:

Cenasti in uita numquam bene, cum omnia in isto

Consumis, squilla, atque acipensere cum decumano.

is haec loquitur, qui in uoluptate nihil ponens, negat eū

bene cenare, qui omnia ponat in uoluptate; & tamen

non negat libenter unquam cenasse Gallonium, (mentiretur enim) sed bene, ita grauius, & seuerē uoluptatem secernit a bono, ex quo illud efficitur, qui bene cenent, omnes libenter cenare; qui libenter, non continuo bene.

semper Laelius bene. quid bene? dicitur Lucilius, Cocto, condito. Sed cedo caput cenae. - Sermonē bono.

Quid ex eo? - Si quaerit, libenter ueniebat enim

ad cenam, ut animo quieto satiaret desideria naturae.

recte ergo is negat unquam bene cenasse Gallonium,

recte miserum, cum praesertim in eo omne studium consumeret, quem libenter cenasse nemo negat. cur igitur non bene? quia, quod bene, id recte, frugaliter, honeste. ille porro male, praeue, nequiter, turpiter cenabat.

non igitur nec lapathi suauitatem ipsam negligebat.

quod non faceret, si in uoluptate summum bonum poneret.

EXPLANATIO

Qui solem, ut aiunt, & Adagium est notissimum. QVIBVS uinum diffusum e pleno sit oenophoro, cui nihil dempsit nix, & sacculos abstulerit: Antiquus Maffei liber habet, Cui nihil dempsit nix, & sacculos abstulerit. emendo, Cui nihil dempsit nix, & sacculus abstulerit. apud ueteres, qui lautius uiuebant, uino delectabantur, quod sacco niuario transmissum esset; non solum, ut frigidius biberent, sed etiam, ut liquidius. itaque dixit Martialis lib. x i i.

- ,, Vt liquidum poterit alauda merum,
- ,, Turba follicito transmittere Caecuba sacco. Et in distichis:
- ,, Setinos moneo, nostra niue frange trientes:

id est, Setini uini uim frange niue, ut frigidius bibas. Seruabatur enim nix in hunc usum. de quo Plinius lib. x i x. cap. 4. Hi niues, inquit, illi glaciem potant. Deinde infert: Excogitatur, ut alienis mensibus nix algeat, qua scilicet uina refrigerentur. Haec Paullus pater. QVIBVS detractis, & Epicuri uerba, apud Laertium: Οὐ γὰρ ἔγνωκε δὴ δ' αἰμα γοῖσαι τ' ἀγαθόν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διατῶν χυλῶν ἠδοναίς, &c. ODRILITIUM, locus ipse, aedificium. & amicissimus meus, eximij uir tum ingenij, tum etiam iudicij, ex uarietate ueterum librorum, (alij enim pro Odrilitium habent, Corinthium, alij aliter) legendum opinatur, Triclinium: illa uero esse glossata. Locus ipse, Aedificium. ego non utrumque, sed alterum dumtaxat glossema puto: ut retineatur, Locus ipse; deleatur, Aedificium. O LAPATHE, & uerfus sunt Lucilij, in quibus inducit

cit

cit Laelium clamantem aduersus gulosos, & uentri deditos. Cum dicitur, O lapathe, lapathium herbam intellige, id quod Cicero postea indicat. GUMAS & ingluuiosos, ut est apud Festum. ACIPENSERE, & Pifcis est, unius omnium squamis ad os uersis, inuentu rarus, nobilissimus habitus apud antiquos. uide Plinium lib. 1 x. cap. 17. Aristoteles Ellopa uocat Acipenserem. DECUMANO, & maiore, sic in castris Decumana porta maxima erat. DICET Lucilius, Cocto, condito. Sed cedo caput cenae. Sermone bono, Quid ex eo? Si quaeris, libenter? L libro XIII. epist. ad Atticū in fine, ita scriptum est: Edit, & bibit ad eas, & iucunde: opipare sane, & apparate: nec id solum, sed bene, cocto, condito, sermone bono, & si quaeris libenter. ut, quemadmodum quidem ego existimo, Lucilij uersum recitet: quem etiam hunc in locum transmittit, sed ut ipse quaedam interijciat. ego autem, cum in illa ad Atticum epistola scriptum legerem, Cocto, condito, non, Horto condito, item hic putauit esse legendum, Cocto, condito: cum ante legeretur, Horto condito: neque sum arbitratus fore, qui nostram coniecturam reprehenderet, cum ea ratione tam firma niteretur. puto autem Lucilij uersum huiusmodi fuisse.

Quid bene? Cocto, Condito, sermone bono, & si quaeris, libenter. Ut illud, Quid bene? cocto, pedes sint praecedentis uersus. Quod autem legitur, Quid, ex eo si quaeris, libenter? puto ita esse interpungendum: Quid ex eo? si quaeris, libenter. nam, qui cenant cocto, condito, sermone bono; sequitur, ut libenter quoque cenent, cum autem interrogaret, Quid ex eo? (subaudi, sequitur) respondet Lucilij uerbis: Si quaeris, libenter. Illa uero, Dicit Lucilius, Sed cedo caput cenae, Quid ex eo, a Cicerone interiecta, effecerunt, ut Lucilij uersum nemo adhuc agnouerit. quem si metiri uelit, pronuntiabit in quinto pede, Quaeri li, abie-tas, consonante: ut paullo ante, Cognitu' cui sis: & Catullus, At fixus nostris tu dabi' supplicium, & saepe apud Lucretium. Haec Paullus pater. Nec lapathi suauitatem & Ne lapathi quidem suauitatem, quem quanti faceret, indicat Lucilianus uersus, O lapathe, ut iactare necesse est, cognitu' cui sis, Laelius anteponebat acipenseri. Galloni sententia quidem haec uidetur. abundare tamen, Nec, suspicari aliquis possit, itaque consulendi ueteres libri. Haec Paullus pater.

C I C E R O

SEMOVEDA est igitur uoluptas, non solum ut res sequamini, sed etiam ut loqui doceat frugaliter. Possumus ne igitur in uita summum bonum dicere, cum id ne in cena quidem posse uideamur? Quo modo autem philosophus loquitur? tria genera cupiditatum, naturales, & necessarias; naturales, non necessarias; nec naturales, nec necessarias. primum diuisit in eleganter: duo enim genera quae erant, fecit tria, hoc est, non diuidere, sed frangere rem, qui si diceret, cupiditatum esse duo genera, naturales, & inanes; naturalium quoque item duo, necessarias, & non necessarias: confecta res esset. uitiosum est enim in diuidendo, partem in genere numerare, sed hoc sane concedamus: contemnit enim differendi elegantiam: confuse loquitur, gerendus

est mos, modo recte sentiat. Et quidem illud ipsum non nimium probo, & tamen patior, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis, an potest cupiditas finire? tollenda est, atque extrahenda radicitus. quis est enim, in quo sit cupiditas, quin recte cupidus dici possit? ergo & auarus erit, sed finite: & adulter, uerum habebit modum: & luxuriosus eodem modo, qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat prauitatis, sed sit contenta mediocritate uitiorum? Quamquam in hac diuisione rem ipsam prorsus probo, elegantiam desidero. appellet haec desideria naturae; cupiditatis non men seruet alio; ut, cum de auaritia, cum de intemperantia, cum de maximis uitij, loquetur, eam tamquam capitis accuset.

E X P L A N A T I O

UT loqui deceat frugaliter. & Neque uacare mendo locum hunc existimo: (quid enim sibi uult, loqui frugaliter? cum hic frugalis cena potius, quam sermo, laudetur) neque mihi tamen, cupienti emendare, probabile quidquam succurrit, in quo quia meliore forsitan euentu aliorum exercbitur industria, notandum putauit. Haec Paullus pater.

C I C E R O

SED haec quidem liberius ab eo dicuntur, & saepius. quod quidem non reprehendo, est enim tanti philosophi, tamq. nobilis, audacter sua decreta defendere, sed tamen ex eo, quod eam uoluptatem, quam omnes gentes hoc nomine appellant, uidetur amplectari saepe uehementius, in magnis interdum uersatur angustijs; ut, hominum conscientia remota, nihil tam turpe sit, quod uoluptatis causa non uideatur esse facturus. Deinde, ubi erubuit, (uis enim est permagna naturae)

confugit illuc, ut neget accedere quidquam posse ad uoluptatem nihil dolentis. At iste non dolendi status non uocatur uoluptas. Non laboro, inquit, de nomine. quid, quod res alia tota est? Reperiam multos, uel innumerabiles potius, non tam curiosos, nec tam molestos, quam uos estis: quibus, quidquid uelim, facile persuadeam. Quid ergo dubitamus, quin, si, non dolere, uoluptas sit summa, non esse in uoluptate dolor sit maximus? cur id non ita sit? quia dolori non uoluptas contraria

traria est, sed doloris priuatio. hoc uero non uidere, *tem ita persequitur quae palato percipiatur, quae au-*
maximo argumento, uoluptatem ullam: qua sublata, ribus: cetera addit, quae si appelles, homos praesfan-
neget se intelligere omnino, quod sit bonum. eam au- *duis sit.*

EXPLANATIO

AT iste con dolendi status } contra Epicurum. Non laboro, } Ex persona Epicuri. Quid, quod }
 contra Epicurum. REPERIAM } ex persona Epicuri. Quid ergo } contra Epicurum. QUA
 dolori } ex persona Epicuri. Hoc uero non uidere, maximo argumento, esse uoluptatem illam } cōtra Epi-
 curum, sed, eruerē sententiā, facillimū non est. conabimur tamen, saltē ut aliorum studia moueātur. Pro-
 xime dixit, ideo non concedere Epicurum, non esse in uoluptate dolorem esse maximum, quia dolori
 non uoluptas contraria sit, sed doloris priuatio. Respondet Cicero: Hoc uero non uidere: id est non in-
 telligere Epicurum, doloris priuationem esse nullam (sic enim lego, non, Vllam) maximo argumento
 est, quod, sublata uoluptate, neget se intelligere, quid sit bonum. quibus uerbis ostendit, indolentiam,
 quam non esse uoluptatem iam confessus est, (dixit enim, Dolori non uoluptas contraria est, sed dolo-
 ris priuatio) bonū non esse, itaque pugnantia uidetur loqui, nam, cum negasset accedere quidquam posse
 ad uoluptatem non dolentis, tamen idem, dolori non uoluptatem esse contrariam, sed doloris priua-
 tionem, dixit, in quo significat, uoluptatem, & doloris priuationem, non idem esse. Haec omnino sen-
 tentia uidetur. Sed singula consideremus. Hoc, non dolere: nam proxime dixit, doloris priuatio. Non
 uidere: ignorare Epicurum, indolentiam diuersam esse a uoluptate, maximo argumēto illud est, quod,
 sublata uoluptate, bonum nullum agnoscit: putat enim indolentiam esse uoluptatem: quia non exclu-
 dit eam, nam, cum ita loquitur, indicat, indolentiam esse uoluptatem: cum tamen ea, quod ille ignorat,
 uoluptas nulla sit: quod etiam in eo confiteri uisus est, cum dixit, non esse uoluptatem dolori cōtra-
 riam, sed doloris priuationem. Qua sublata: malitia, Quod, ea sublata, ut hic sit uerborum ordo: Ma-
 ximo argumento est, non uidere Epicurum, doloris priuationem uoluptatem esse nullam, quod, sublata
 uoluptate, neget se intelligere, quid sit bonum, nam, si, praeter uoluptatem nihil est bonum; sequitur, ut
 indolentia uel sit uoluptas, & ideo bonum: quod iam concessit Epicurus, cum negauit accedere quid-
 quam posse ad uoluptatem non dolentis, uel non sit uoluptas, & ideo non bonum: quod idem concessit
 Epicurus, cum dixit, Dolori non uoluptas contraria est, sed doloris priuatio. Ergo ipse sibi in sua sen-
 tentia aduersarius est: cum indolentiam modo uoluptatem esse, modo non esse, significat. ex quo, quasi ui-
 ctoria potius in disputandi certamine, illa Cicero subiunxit: Hoc igitur, quod solum bonum seuerus,
 & grauis philosophus nouit, idem non uidet ne expetendum quidem esse: quod eam uoluptatem; hoc
 eodem auctore, non desideremus, cum dolore careamus, & quae post sequuntur ad repellendum Epi-
 curi inconstantiam.

CICERO

HOC igitur, quod solum bonum seuerus, & gra-
 uis philosophus nouit, idem non uidet ne expe-
 tendum quidem esse; quod eam uoluptatem hoc eodem
 auctore non desideremus, cum dolore careamus. quā-
 quam haec sunt contraria. hic si definire, uel diuidere
 didicisset; si loquendi uim, si demque consuetudinem
 uerborum teneret; nunquam in tantas salebras inci-
 disset. nunc uides, quid faciat. quam nemo umquam uo-
 luptatem appellat, & hanc in motu uoluptatem, quae
 duo sunt, unum facit; (sic enim has suaves, & quasi
 dulces uoluptates appellat) interdum ita extenuat, ut
 x. Curium putes loqui, interdum uia laudat, ut, quid
 praeterea sit bonum, neget se posse ne suspicari quidem.
 quae iam oratio non a philosopho aliquo, sed a censore
 opprimenda est. non est enim uitium solum in oratio-
 ne, sed etiam in moribus. Luxuriam non reprehendit,
 modo sit uacua infinita cupiditate, & timore. hoc loco

discipulos quaerere uidetur, ut, qui a soti esse uelint,
 philosophi ante fiant. A primo, ut opinor, animan-
 tium ortu petitur origo summi boni, simul atque natum
 animal est, gaudet uoluptate, & eam appetit, ut bo-
 num; a spernatur dolorem, & eam appetit, ut bo-
 nis; ab ijs animalibus, quae nondum deprauata
 sunt, ait optime iudicari. Haec & tu ita posuisti, &
 uerba uestra sunt. Quam multa uitiosa? summum
 enim bonum, et malum uagiens puer uita uoluptate di-
 iudicabit, stante, an mouente? quoniam, si dīs placet,
 ab Epicuro loqui discimus. si stante; hoc natura uide-
 licet uult, saluam esse se; quod concedimus, si mouen-
 te, quod tamen dicitis; nulla turpis uoluptas erit, quae
 praetermittenda sit: & simul non proficietur ani-
 mal illud modo natum a summa uoluptate, quae est a
 te posita in non dolendo.

EXPLANATIO

CVm dolore careamus. } quandoquidem in indolentia summa uoluptas est.

CICERO

C I C E R O

Nec tamen argumentum hoc Epicurus a paruis petiuit, aut etiam a bestijs: quae putat esse specula naturae: ut diceret, ab his, duce natura, hanc uoluptatem expeti nihil docendi. neque enim haec mouere potest appetitum animi: nec illum habet istum, quo pellat animum status hic non docendi. itaque in hoc eodem peccat Hieronymus. at ille pellit, qui permulcet sensum uoluptate. itaque Epicurus semper hoc utitur, ut probet uoluptatem natura expeti; quod ea uoluptas, quae in motu sit, & paruos ad se alliciat, & bestias, non illa stabilis, in qua tantum inest nihil dolere. quid igitur conuenit, ab alia uoluptate dicere naturam proficisci, in alia summum bonum ponere? Bestiarum uero nullum iudicium puto. quamuis enim deprauatae non sint,

prauae tamen esse possunt, ut bacillum aliud est inflexum, & incuruatum de industria, aliud ita natum: sic ferarum natura non est illa quidem deprauata mala disciplina, sed natura sua. Nec uero, ut uoluptatem expetat, natura mouet infantem, sed tantum, ut se ipse diligat, ut integrum se, saluumque uelit. omne enim animal, simul ut ortum est, & se ipsum, & omnes partes suas diligit; duasque res, quae maximae sunt, in primis amplectitur, animum, & corpus; deinde utriusque partes. nam sunt & in animo praecipua quaedam, & in corpore: quae cum leuiter agnouit, tunc discernere incipit, ut ea, quae prima data sunt natura, appetat, asperneturque contraria.

C I C E R O

In his primis naturalibus uoluptas inest, nec ne, magna quaestio est. nihil uero putare esse praeter uoluptatem, non membra, non sensus, non ingenij motum, non integritatem corporis, non ualeitudinem, summae mihi uidetur inscitiae. atque ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum, & malorum. Polemoni, etiam ante Aristoteli ea prima uisa sunt, quae paullo ante dixi. ergo nata est sententia ueterum Academicorum, & Peripateticorum; ut finem bonorum dicerent, secundum naturam uiuere, id est, uirtute adhibita, frui primis a natura datis. Callipho ad uirtutem nihil adiunxit, nisi uoluptatem: Diodorus nisi uacuitatem doloris. his omnibus, quos dixi, consequentes sunt fines bonorum. Aristippo simplex uoluptas: Stoicis,

consentire naturae: quod esse uolunt e uirtute, id est honeste uiuere: quod ita interpretantur; uiuere cum intelligentia earum rerum, quae natura euenirent, eligente ea, quae essent secundum naturam, reiicientemque contraria. Ita tres sunt fines, expertes honestatis; unus Aristippi, uel Epicuri; alter Hieronymi; Carneadis tertius; tres, in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphonis, Diodori; una simplex, cuius Zenon auctor, postea in decore rota, id est in honestate, nam Pyrrho, Aristoteli, Herillus iam diu abiecti: reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum inijs conuenirent; ut Aristippo uoluptas, Hieronymo doloris uacuitas, Carneadi frui principijs naturalibus esset extremum.

C I C E R O

Epicurus autem cum in prima commendatione uoluptatem dixisset; si eam, quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum bonorum, quod ille; si eam, quam Hieronymus, fecisset idem, ut uoluptatem illam Aristippi in prima commendatione poneret, nam, quod aut sensibus ipsis indicari, uoluptatem bonum esse, dolorem malum: plus tribuit sensibus, quam nobis leges permittunt. priuatorum litium iudices sumus, nihil enim possumus iudicare, nisi quod est nostri iudicij. in quo frustra iudices solent, cum sententiam pronunciant, addere, si quid mei iudicij est. si enim non fuit eorum iudicij; nihilo magis, hoc non addito, illud est iudicatum. quid iudicat sensus? dulce, amarum; lene, asperum; prope, longe; stare, mouere; quadratum, rotundum. quam igitur pronunciat sententiam ratio? adhibita primum diuinarum humanarumque rerum scientia, quae potest appellari rite sapientia; deinde adiunctis uirtutibus, quas ratio rerum omnium dominas, tu

uoluptatum satellites, & ministras esse uoluit: quarum de omnium sententia pronunciat, primum de uoluptate, nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, quem quaerimus; sed ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur. De uacuitate doloris eadem sententia est. Reijcietur etiam Carneades: nec illa de summo bono ratio, aut uoluptatis, non dolendi particeps, aut honestatis expertis, probabitur. ita relinquetur, duas de quibus etiam atque etiam consideret, aut enim statuet, nihil esse bonum, nisi honestum; nihil malum, nisi turpe; cetera aut omnino nihil habere momenti, aut tantum, ut nec experenda, nec fugienda, sed eligenda modo, aut reiicienda sint: aut anteponet eam, quam cum honestate ornatissimam, tum etiam ipsis inijs naturae, & totius perfectione uitae locupletatam uidebit. quod eo liquidius faciet, si perspexerit, rerum inter eas, uerborum ne sit controuersia.

C I C E R O

Huius ego nunc auctoritatem sequens, idem faciam. quantum enim potero, miniam contentiones; omnesque simplices sententias eorum, in quibus nul-

la est uirtutis adiunctio, omnino a philosophia semouendas putabo: primum Aristippi, Cyrenaeorumque omnium quos non est ueritum, in ea uoluptate, quae maxima dulcedine

dulcedine sensum moueret, summum bonum ponere, contemnerent istam uacuitatem doloris. hi non uiderunt, ut ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, intelligendum, & agendum esse natum, quasi mortalem deum: contraque, ut tardam aliquam, & languidam pecudem, ad pastum, & ad procreandi uoluptatem hoc diuinum animal ortum esse uoluerunt. quo nihil mihi uidetur esse absurdius. Atque haec contra Aristippum, qui eam uoluptatem non modo summam, sed solam etiam dicit, quam omnes unam appellamus uoluptatem. aliter autem uobis placet sed ille, ut dixi, uisose, nec. n. figura corporis, nec ratio excellens ingenij humani significat ad hanc unam rem natum hominem, ut fruere tur uoluptatibus. Nec uero audiendus Hieronymus, cui summum bonum est idem, quod nos interdum, uel potius nimium saepe dicitis, nihil dolere. non enim, si malum dolor est, carere eo malo, satis est ad bene uiuendum. hoc dixerit potius Ennius,

Nimum boni est, cui nihil est mali:
nos beatam uitam non depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus; nec eam cessando, siue gaudento, ut Aristippus, siue non dolendo, ut hic, sed agendo aliquid,

considerando ne quaeramus. Quae possunt eadem contra Carneadeum illud summum bonum dici: quod is non tam, ut probaret, protulit, quam ut Stoicis, quibus cum bellum gerebat, opponeret, id autem eiusmodi est, ut additum ad uirtutem, auctoritatem uideatur habiturum, & expleturum cumulate uitam beatam, de quo omnis haec quaestio est. nam, qui ad uirtutem adiungunt uel uoluptatem, quam unam uirtus minimi facit, uel uacuitatem doloris, quae, etiam si malo caret, tamen non est summum bonum: accessione utuntur non ita probabili: nec tamen, cur id tam parce, tamque restricte faciant, intelligo. quasi enim emendum eis sit, quod addant ad uirtutem, primum uilissimas res addunt; deinde singulas potius, quam omnia, quae prima natura approbasset, ea cum uoluptate coniungunt, quae cum Aristoni, & Pyrrhoni omnino uisa sint pro nihilo, ut inter optime ualere, & grauissime aegrotare, nihil profusus dicerent interesse: recte iam pridem contra eos destitum est disputari. dum enim in una uirtute sic omnia esse uoluerunt, ut eam rerum selectione exspoliarent, nec ei quidquam, aut unde oriretur, darent, aut ubi uiteretur: uirtutem ipsam, quam amplexabantur, sustulerunt.

EXPLANATIO

Quos non est ueritum, § genus loquendi nimis antiquum.

CICERO

HERILLVS autem, ad scientiam omnia renouans, unum quoddam bonum uidit, sed nec optimum, nec quo uita gubernari possit: itaque hic ipse iam pridem est reiectus. post enim Chrysippum non sane est disputatum. Restatis igitur uos, nam cum Academicis incerta luctatio est: qui nihil affirmant, & quasi desperata cognitione certi, id sequi uolunt, quodcumque uerisimile uideatur. Cum Epicuro autem hoc est plus negotij, quod ex duplici genere uoluptatis coniunctus est, quodque & ipse, & amici eius, & multi postea defensores eius sententiae fuerunt: & nescio quo modo, is, qui auctoritatem minimam habet, maximam uim, populus cum illis facit, quos nisi arguimus, omnis uirtus, omne decus, omnis uera laus deserenda est. ita, ceterorum sententijis semotis, relinquatur non mihi cum Torquato, sed uirtuti cum uoluptate certatio. quam quidem certationem, homo & acutus, & diligens, Chrysippus non contemnit, totumque discrimen summi boni in eadem comparatione positum putat. ego autem existimo, si honestum aliquid ostendero, quod sit ipsum uis sua, propterque se experendum, iacere uestra omnia, itaque, eo, quale sit, breuiter, ut tempus postulat, constituto, accedam ad omnia tua, Torquate. ubi si me memoria forte defecerit, tuum est, ut suggeras. Honestum igitur id intelligimus, quod tale est, ut, detracta omni utilitate, sine ullis praemijs, fructibusque, per se ipsum possit iure laudari. quod quale sit, non tam definitione, quam sum usus, intelligi potest, quamquam aliquantum potest, quam communi omnium iudicio, & optimi cu-

iusque Studijs, atque factis: qui permulta ob eam uita causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est; et si nullum consecuturum emolumentum uident. homines enim, etsi multis alijs, tamen hoc uno a bestijs plurimum differunt, quod rationem habeant a natura, mentemque datam & acrem, & uigentem, celerissimeque multa simul agitantem, & ut ita dicam, sagacem: quae & causas rerum, & consecutiones uideat; & similitudines trans eras, & disuncta coniungat; & cum praesentibus futura copulet; omnemque complectatur uitae consequentis statum. eademque ratio facit hominem hominum appetentem, cumque his natura, & sermone, & usu congruentem; ut, profectus a caritate domesticorum, ac suorum, curras longius, & se implicet primum ciuium, deinde omnium mortalium societate; atque, ut ad Architam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis; ut perexigua pars ipsi relinquatur. Et, quoniam eadem natura cupiditatem ingenit homini ueri inueniendi; quod facillime apparet, cum uacui curis, etiam quid in caelo fiat, scire auemus; his inijs inducti, omnia uera diligimus; id est fidelia, simplicia, constantia; tum uana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum, atque magnificum, ad imperandum magis, quam ad parendum, accommodatum, omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam leuia ducens, aliam quiddam, excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper inuictum.

EXPLA-

EXPLANATIO

CHRYSIPPUM ꝛ contra Herilium, Aristonemq. disputauit Chryſippus. Vt ad Architam ſcripſit Plato, ꝛ de quo uide Platonis epiſtolam.

CICERO

ATQUE his tribus generibus honeſtorum notatis, quartum ſequitur, & in eadem pulchritudine, & aptum ex illis tribus: in quo ineſt ordo, & moderatio. cuius ſimilitudine perſpecta in formarum ſpecie, a dignitate tranſitum eſt ad honeſtatem dictorum. nam ex ijs tribus laudibus, quas ante dixi, & temeritatem reformidat, & non audet cuiquam aut dicto proteruo, aut factio nocere; uereturq. quidquam aut facere, aut loqui, quod parum uirile uideatur. Habes undiq. expletam, & perfectam, Torquate, formam honeſtatis, quae tota his quattuor uirtutibus, quae a te quoque commemoratae ſunt, continetur. hanc, ſe tuus Epicurus omnino ignorare dicit, quam, aut qualem eſſe uelint, qui honeſtate ſummum bonum metiantur: ſi enim ad honeſtatem omnia referantur, nec in ea uoluptatem dicant ineſſe: ait eos inani uoce ſonare; (his enim iſtis uerbis utitur) neque intelligere, neque uidere, ſub hac uoce honeſtatis quae ſit ſubijcienda ſententia. ut enim conſuetudo loquitur, id ſolum dicitur honeſtum, quod eſt populari fama glorioſum: quod, inquit, quamquam uoluptatibus quibusdam eſt ſaepe iucundius, tamen expetitur propter uoluptatem. Vides ne, quam ſit magna diſſenſio ꝛ philoſophus nobilis, a quo non ſolum Graecia, & Italia, ſed etiam omnis barbaria commota eſt, honeſtum quid ſit, ſi id non eſt in uoluptate, negat ſe intelligere; niſi forte illud, quod multitudinis rumore laudatur. Ego autem, hoc etiam turpe eſſe, ſaepe iudico; & ſi quando turpe non ſit, tamen non eſt non turpe, cum id a multitudine laudetur: quod ſi ſit ipſum per ſe rectum, atque laudabile; non ob eam cauſam tamen illud dici honeſtum eſſe, quia laudetur a multis;

ſed quia tale ſit, ut, uel ſi ignorarent id homines, uel ſi obmutuiſſent, pulchritudine ſua tamen eſſet, ſpecieq. laudabile. itaque idem natura uictus, cui obſiſti non poteſt, dicit alio loco id, quod a te etiam paulo ante dictum eſt; non poſſe iucunde uiui, niſi etiam honeſte. quid nunc, honeſte, dicit? idem ne, quod iucunde? ergo ita; non poſſe honeſte uiui, niſi honeſte uiuatur. an, niſi populari fama? ſine ea igitur iucunde negat poſſe uiuere? quid turpius, quam ſapientis uitam ex inſipientium ſermone pendere? quid ergo hoc loco intelligit honeſtum? certe nihil, niſi quod poſſit ipſum propter ſe iure laudari. nam, ſi propter uoluptatem: quae eſt iſta laus, quae poſſit e macello peti? non iſt uir eſt, ut, cum honeſtatem eo loco habeat, ut ſine ea iucunde neget poſſe uiui, illud honeſtum, quod populare ſit, ſentiat, & ſine eo iucunde neget uiui poſſe; at uel quidquam aliud honeſtum intelligat, niſi quod ſit rectum ipſum, quod per ſe, ſua ui, ſua natura, ſua ſite ſponte laudabile. itaque, Torquate, cum diceret clamarer Epicurum, non poſſe iucunde uiui, niſi honeſte, & ſapienter, & iuſte uiueretur; tu ipſe mihi gloriari uidebare. tanta uis merat in uerbis, propter earum rerum, quae ſignificabantur his uerbis, dignitatem: ut altior fieres; ut interdum inſiſteres; ut, nos intuens, quaſi teſtificare, laudari honeſtatem, & iuſticiam aliquando ab Epicuro, quam te decebat iſs uerbis uti, quibus ſi philoſophi non uterentur, philoſophia omnino non egere-mus. iſtorum enim uerborum amore, quae perraro appellatur ab Epicuro, ſapientiae, fortitudinis, iuſticiae, temperantiae; praetantiſſimis ingenijs homines ſe ad philoſophiae ſtudium contulerunt.

EXPLANATIO

CUIVS ſimilitudine perſpecta in formarum ſpecie, a dignitate tranſitum eſt ad honeſtatem dictorum, atque factorum. ꝛ Mihi uidetur omnino rectius hoc modo: Formarum ſpecie, ac dignitate, tranſiunt eſt, &c. ut ad formas referatur ſpecies, ac dignitas. aliter ueteres libri: ego tamen mea coniectura delector. Haec Paullus pater. PER ſe rectum, atque laudabile; ꝛ ſic malui, ſecutus antiquum librum, quam, ut antea, Perfectum, atque laudabile, & paulo poſt, honeſtum, ſignificat, id ſolum eſſe, quod ſit rectum ipſum per ſe, ſua ui, ſua natura, ſua ſponte laudabile. Haec Paullus pater.

CICERO

OCVLORVM, inquit Plato, eſt in nobis ſenſus acerrimus: quibus ſapientiam non cernimus. quam illa ardentis amores excitaret ſui, ſi uideretur? cur tandem? an, quod illa callida eſt, ut optime poſſit architectari uoluptates? Cur iuſticia laudatur? aut unde eſt hoc contritum uetulaſtate prouerbium, quicquid in tenebris hoc dictum in una re, latiſſime patet: ut in omnibus factis re, non teſte, moueamur. Sunt enim leuia, & perſirma, quae dicebantur a te, cum animi conſcientia improbos excruciarum, tum etiam poenae timore: qua aut afficiuntur, aut ſemper ſunt in metu, ne afficiantur aliquando. non oportet timidum, aut imbecillum animo

ſingi, non bonum illum uirum, qui, quid quid fecerit, ipſe ſe cruciet, omniaq. formidet, ſed omnia callide referentem ad utilitatem, acutum, uerſutum, ueteratorem, facile ut excogitet quo modo occulte, ſine teſte, ſine ullo conſcio fallat. An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui, cum praetor quaestionem inter ſicarios exercuiſſet, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut amo proximo P. Scaeuola tribunus pl. ferret ad plebem, uellent ne de ea re quaeri. quo plebecito, decreta a ſenatu eſt conſuli quaestio Cn. Caepioni. profectus in exſulium Tubulus ſtatim, nec reſpondere auſus. erat enim ras aperta, non igitur de improbo, ſed callide improbo

quaerimus: qualis Q. Pompeius in foedere Numantino insitiano fuit. Nec uero omnia timentem: primum qui animi conscientiam non curet: quam scilicet comprimere, nihil est negotij: is enim, qui oculus, & lectus dicitur, tantum abest ut se indicet: perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto uideatur: quid est enim aliud, esse uersutum? Memini me adesse P. Sextilio Ruso, cum is ad amicos rem ita deferret, se esse heredem Q. Fabio Gallo; cuius in testamento scriptum esset, se esse ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perueniret. id Sextilius factum negabat: poterat autem impune; quis enim redargueret? nemo nostrum negabat: eratque uerisimilius, hunc mentiri, cuius interesset, quam illum, qui id se rogasse scripsisset, quod debuisset rogare, addebat etiam, se in legem Vo-

coniam iuratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis uideretur. aderam nos quidem adulescentes, sed & multi amplissimi uiri: quorum nemo censuit plus filiae dandum, quam posset ad eam lege Voconia peruenire. tenuit permagnam Sextilius hereditatem, unde, si secutus esset eorum sententiam, qui honesta, & recta emolumentis omnibus, & commodis anteponebant, ne nummum quidem unum attigisset. num igitur postea censes anxio animo, aut sollicito fuisse? nihil minus: contraque, illa hereditate diues, ob eamque rem laetus: magni enim aestimabat pecuniā non modo non contra leges, sed etiam legibus partam: quae quidem uel cum periculo est quaerenda nobis: est enim effectrix multarum, & magnarum uoluptatum.

EXPLANATIO

INOUIT Plato, & in Phaedro. Cn. Scipioni. & omnino reponendum, Caepioni, ex historia. Cn. Seruilius Caepio consul fuit cum Q. Pompeio Nepote, quibus consulibus decretum est, ut in Tubulū quaereretur, de fin. lib. IV. in extremo, & lib. V. de nat. deo. lib. III. ad Atticum lib. XI. epist. 5. Peditanus. Haec Paullus pater. **TANTVM** abest ut se indicet: & sic de Callidio locutus in Bruto, & de fin. lib. V. **ADDEBAT** etiam, se in legem Voconiam iuratum & Lex Voconia sanxit, ne uiri ditissimi heredes filias relinquere, auctor est Peditanus Hanc legem suavit M. Cato Censorius, apud Ciceronem in Catone maiore, & apud Agellium. **CENSUIT** plus filiae dandum, & Alij, Plus Fadae: quae lectio si retineatur, supra legendum erit, Fadio Gallo, non Fabius: cum Gallus cognomen Fadorum sit. Haec Paullus pater.

CICERO

VT igitur illis, qui, recta & honesta quae sunt, ea statuunt per se expetenda, adenda sunt quaeuis pericula, decoris, honestatisque causa: sic uestris, qui omnia uoluptate metiuntur, pericula adenda sunt, ut adipiscantur magnas uoluptates. si magna res, magna hereditas agetur, cum pecunia uoluptates pariantur plurimae; idem erit Epicuro uestro faciendum, si suum finem bonorum sequi uolet, quod Scipioni, magna gloria proposita, si Hannibalem in Africam retraxisset. itaque quantum adijt periculum? ad honestatem enim ille omnem conatum suum referebat, non ad uoluptatem. sic uester sapiens, magno aliquo emolumento commotus, animi causa, si opus fuerit, dimicabit: occultum facinus esse potuerit, gaudebit: deprehensus, omnem poenam contemnet. erit enim instructus ad mortem contemnendam, ad exsiliū, ad ipsum etiam dolorem: quem quidem uos, cum improbis poenam proponitis, impatibilem facitis; cum sapientem semper boni plus habere uultis, tolerabilem. Sed finge non solum callidum eum, qui aliquid improbe faciat, uerum etiam praepotentem; ut M. Crassus fuit; qui tamen solebat uti suo bono: ut hodie est noster Pompeius; cui recte facienti gratia est habenda. esse enim quamuis iniustus poterat impune. quam multa uero iniuste fieri possunt, quae nemo possit reprehendere? Si te amicus tuus

moriens rogaerit, ut hereditatem reddas suae filiae; nec usquam id scripserit, ut scripsit Fabius; nec cuiquam dixerit: quid facias? tu quidem reddes: ipse Epicurus fortasse redderet: ut Sex. Peducaeus Sex. F. is, qui hunc nostrum reliquit, effigiem & humanitatis, & probitatis suae filium, tum doctus, tum omnium uir optimus, & iustissimus, cum sciret nemo eam rogatum a C. Plotio, equite R. splendido Nursino, ultro ad mulierem uenit; eiq. nihil opinanti uir: mandatum exposuit, hereditatemque reddidit. Sed ego ex te quaero; quoniam idem tu certe fecisses: non ne intelligis eo maiorem uim esse naturae, quod ipsi uos, qui omnia ad uestrum commodum, & ut ipsi dicitis, ad uoluptatem referatis, tamen ea faciatis, e quibus appareat, non uoluptatem uos, sed officium sequi? plusque rectam naturam, quam rationem prauam, ualere? Si scieris, inquit Carneades, a spidem occulte latere uispiam, & uelle imprudentem super eam affidere, cuius mors tibi emolumentum factura sit: improbe feceris, nisi monueris, ne assideat: sed impune tamen id te constat fecisse: quis enim coarguere possit? Sed nimis multa. perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiantur a natura, & si omnia haec ad utilitatem referantur, uirum bonum non posse reperiri.

CICERO

SED de his rebus satis multa in nostris de rep. libris sunt dicta a Laelio. Transfer idem ad modestiā uel temperantiā, quae est moderatio cupiditatum ra-

tionis obediens. sati; ne ergo pudori consulat, si quis sine teste libidini pareat? an est aliquid per se ipsum flagitiosum, etiā si nulla comitetur infamia? Quid fortes uiri?

uiris uoluptatum ne catulis subductis, proelium in-
eunt, sanguinem pro patria profundunt, an quodam ani-
mi ardore, atque impetu concitati? utrum tandem cen-
ses, Torquate, Imperiosum illum, si nostra uerba audi-
ret, tuam ne de se orationem libentius auditurum fuis-
se, an meam; cum ego dicerem, nihil eum fecisse sua
caussa, omniaq. reip. tu contra, nihil, nisi sua? si uero id
etiam explanare uelles apertius, diceres nihil eum fe-
cisse, nisi uoluptatis causa, quo modo eum tandem la-
turum fuisse existimes? Esto: fecerit, si ita uis, Tor-
quatus propter suas utilitates, malo enim dicere,
quam uoluptates, in tanto praesertim uiro. num
etiam eius collega, P. Decius, princeps in ea familia con-
sulatus, cum se deuoueret, & equo admissio, in mediam
aciem Latinorum irrueret, aliquid de uoluptatibus
suis cogitabat? nam ubi eam caperet, aut quando, cum
sciret, confestim esse moriendum, eamq. mortem arden-
tiore studio peteret, quam Epicurus uoluptatem peten-
dam putat? quod quidem eius factum nisi esset iure lau-

datum, non esset imitatus quarto consulatu suo filius;
neque porro ex eo natus, cum Pyrrho bellum gerens,
consul occidisset in proelio, seq. e continenti genere ter-
tiam uictimam reip. praebuisset. Contineo me ab exem-
plis Graecis: hoc modicum est: Leonidas, & paminondas,
tres alij, aut quattuor. ego, si nos uolunt colligere coepe-
ro; perficiam illud quidem, ut se uirtuti iradat constrin-
gendam uoluptas; sed dies me deficiet: & ut A. Va-
rius, qui est habitus iudex durior, dicere confessorij sole-
bat, cum, datis testibus, alij tamen citarentur, Aut
hoc testium satis est, aut nescio, quid satis sit; sic a me
satis testium est dictum, quid enim? te ipsum, dignis-
simum maioribus iuis, uoluptas ne induxit, ut ado-
lescentulus eriperes P. Sullae consulatum? quem
cum ad patrem tuum retulisses, fortissimum uirum;
qualis ille uel consul, uel ciuis cum semper, tum
post consulatum fuit? quo quidem auctore nos ipse
ea gessimus, ut omnibus potius, quam ipsis nobis, con-
suluerimus.

EXPLANATIO

PERICULA aduenda sunt, & Hoc si absit, nihilo fiet obscurior, aut imperfectior sententia. subaudi-
tur enim, quod in proximo superiore membro dictum est, Adeunda sunt quaeuis pericula, nec ue-
ro cuiquam dubium esse puto, quin ea saepe, quae glossata uocant, inter uerba Ciceronis locum ac-
cupauerint. Haec Paullus pater. Esse enim quamuis iniustus poterat impune. Sic antiquus liber, & re-
cte, in omnibus autem impressis, excepto quem nunc emittimus, hoc modo: Esse enim quamuis uellet
iustus, iniustus poterat impune. Haec Paullus pater.

CICERO

AT quam pulchre dicere uidebare, cum ex altera
parte ponebas cumulatam aliquem plurimis,
& maximis uoluptatibus, nullo nec praesenti, nec futu-
ro dolore, ex altera autem cruciatibus maximis toto
corpore, nulla nec adiuncta, nec sperata uoluptate: &
quiderebas, quis aut hoc inferior, aut superiore illo bea-
rior foret. deinde concludebas, summum malum esse
dolorum, summum bonum uoluptatem. L. Thorius Bal-
bus fuit Lanuuius: quem meminisse tu non potes, is ita
uiuebat, ut nulla tam exquisita posset inueniri uolu-
ptas, qua non abundaret. erat & cupidus uoluptatum,
& cuiusuis generis eius intelligens, & copiosus; ita
non superstitiosus, ut illa plurima in sua patria sacrifi-
cia, & sacra contemneret; ita non timidus ad mortem,
ut in acie sit ob remp. interfectus. cupiditates non
Epicuri diuisione finiebat, sed sua satietate: habebat ta-
men rationem ualitudinis: utebatur ijs exercitationi-
bus, ut ad cenam & esuriens, & sitiens ueniret; eo ci-
bo, qui & suauissimus esset, & idem facillimus ad con-
eouendum; uino & ad uoluptatem, & ne noceret. ce-

tera illa adhibebat, quibus demptis negat se Epicurus
intelligere, quid sit bonum, aberat omnis dolor, qui si ad
esset, nec moliter ferret, & tamen medicis plus, quam
philosophis, uteretur. color egregius, integra ualendo,
summa gratia, uita denique conferta uoluptatum om-
nium uarietate. hunc uero beatum oratio quidem uestra
sic cogitat: ego, huic quem anteponam, non audeo dice-
re: dicet pro me ipsa uirtus; nec dubitabit isti uestro bea-
to M. Regulum anteponere: quem quidem, cum sua uo-
luntate, nulla ui coactus, propter fidem, quam dederat
hosti, ex patria Carthaginē reuertisset, tum ipsum, cum
uigilijs, & fame cruciaretur, clamat uirtus beatorem
fuisse, quam potantem in rosa Thorium. bella magna ges-
serat is: bis consul fuerat: triumpharat: nec tamen sua
illa superiora ita magna, nec ita praeclara ducebat, qua
illum ultimum casum, quē propter fidem, constantiamq.
susceperat: qui nobis miserabilis uidetur audientibus,
illi perpetienti erat uoluptarius. nō enim hilaritate, nec
lasciniā, nec risu, aut ioco, comite leuitatis, sed saepe
etiam tristes firmitate, & constantia sunt beati.

EXPLANATIO

TVM ipsum & eo ipso tempore, ut, Nunc ipsum. POTANTEM in rosa Thorium. & uoluptatibus de-
ditissimum. BELLA magna gesserat is: bis consul fuerat: Antiquus liber, Gesserat his. ego, His-
minime Ciceronis esse puto: sed primo fortasse illud, Bis, quod proxime sequitur, per errorem a libra-
rio cum esset iteratum, factum est postea His, postremo Is. omnino quasi currere procliuius oratio uide-
tur, si legamus: Bella magna gesserat: bis consul fuerat. Haec Paullus pater.

CICERO

CICERO

STUPRATA per uirum Lucretia a regis filio, testata crimen, se ipsam interemit. hic dolor populi, duce & auctore Bruto, causa civitati libertatis fuit: ob eiusque mulieris memoriam primo anno & uir, & pater eius consul est factus. Tenuis L. Virginius, unusque de multis, sexagesimo anno post libertatem receptam, Virginiam filiam sua manu occidit, potius quam ea Ap. Claudij libidini, qui tum erat summo in imperio, dederetur. Aut haec tibi, Torquate, sunt uirperanda: aut patrocinium uoluptatis repudiandum, quod autem patrocinium, aut quae ista causa est uoluptatis, quae nec resiles uilos e claris uiris, nec laudatores poterit adhibere: ut enim nos ex annalium monumentis testes excitamus eos, quorum omnis uita consumpta est in laboribus gloriosis, qui uoluptatis nomen audire non possent: sic in uestris disputationibus historia muta est. numquam audiui in Epicuri schola Lycurgum, Solaem, Milciadem, Themistoclem, Epaminondam nominari; qui in ore sunt ceterorum omnium philosophorum. nunc uero, quoniam haec nos etiam tractare coepimus, suppeditabit nobis Atticus de thesauris suis, quot; & quantos uiros habere restium sat est: non ne melius est de his aliquid, quam tantis uoluminibus de Themistocle loqui? sint ista Graecorum: quamquam ab his philoso-

phiam, & omnes ingenuas disciplinas habemus: sed tamen est aliquid, quod nobis non liceat, liceat illis. Pugnatum Stoici cum Peripateticis. alteri negant quidquam esse bonum, nisi quod honestum sit: alteri plurimum se, & longe, longeq. plurimum tribuere honestati, sed tamen & in corpore, & extra esse quaedam bona, & certam honestum, & disputatio splendida, ois est. n. de uirtutis dignitate contentio. at cum tuis cum diseras, multa sunt audienda etiam de obscenis uoluptatibus, de quibus ab Epicuro saepissime dicitur. Non potes ergo ista tueri, Torquate, mihi crede, si te ipse, & tuas cogitationes, & studia perspexeris. pudebit te, inquam, illius tabulae, quam Cleanthes, sane commode, uerbis pingere solebat. iubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula uoluptatem; pulcherrimo uestitu. & ornatu regali, in folio sedentem: praesto esse uirtutes, ut ancillulas; quae nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut uoluptati ministrarent; & eam tantum ad aurem admonerent, si modo id pictura intelligi posset, ut caueret, ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum; aut quidquam, e quo oriretur aliquis dolor: nos quidem uirtutes sic natae sumus, ut tibi seruiremus: aliud negotij nihil habemus.

EXPLANATIO

TESTATA ciues, 3. Maffei liber, Testata crimen. probo, ex historia. uiro enim, & patri, non cuiuslibet Lucretia crimen exposuit, Haec Paullus pater. Ap. Claudij 3. Sic emendauit. male antea, P. Claudij. nam Lilius lib. 111. Appium nominat: & Maffei liber, confirmat, Haec Paullus pater. NVNC uero, 3. Ap. ad sententiam, Nec uero: itaq. plane scriptum uideo in antiquo libro. Nec uero, inquit, Atticus, licet Epicuro deditus, de suis historiarij libris promere poterit claros uiros, qui summum bonum in uoluptate posuerint. Epicuri autem in haeresi Atticum fuisse, lib. v. de Fin. & ep. 1. lib. xxi. Fam. & ex epistolis ad ipsum docemur. Haec Paullus pater.

CICERO

AT negat Epicurus (hoc enim uestrum lumen est) quemquam, qui honeste non uiuat, iucunde posse uiuere. Quasi ego id curem, quid ille aiat, aut negat. illud quaero, quid ei, qui in uoluptate summum bonum putat, consentaneum sit dicere. quid affers, cur Thorius Postumius, cur Chius, cur omnium magister Orata non iucundissime uixerit? ipse negat, ut ante dixi, luxuriosorum uitam reprehendendam, nisi plane fatui sint, id est nisi aut cupiant, aut metuam, quarum amborum rerum cum medicinam pollicetur, luxuriae licentiam pollicetur. his enim rebus detractis, negat se reperire in afortorum uita, quod reprehendat. Non igitur potestatis uoluptate omnia dirigentes aut tueri, aut retinere uirtutem. nam nec uir bonus, ac iustus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab iniuria. non si credo illud; Nemo pius est, qui pietatem cauet. caue quidquam putes esse uerius. nec enim, dum metuit, iustus est; & certe, si metuere deslitterit, non erit.

non metuet autem; siue celare poterit, siue opibus magnis, quidquid fecerit, obtinere: certe quae malet ex illimari bonus uir, ut non sit; quam esse, ut non putetur. ita, quod certissimum est, pro uera, certaq. iustitia simulationem nobis iustitiae traditis; praecipitq. quodammodo, ut nostram stabilem conscientiam contemnamus, aliorum errantem opinionem aucupemur. Quae dici eadem de ceteris uirtutibus possunt: quarum omnium fundamenta uos in uoluptate, tamquam in aqua, ponitis. quid enim? fortem ne possumus dicere eundem illum Torquatium? delector enim, quamquam te non possum, ut ais, corrumperet, delector, inquam, & familia uestra, & nomine. & hercule modo, uir optimus, nostrig. amantissimus, A. Torquatus uersatur ante oculos: cuius quantum studium, & quam insigne fuerit erga me temporibus illis, quae nota sunt, omnibus, scire necesse est utrumque uestrum. quae mihi ipse, qui uolo & esse, & haberi, gratus, & rata non essent, nisi eum perspicerem mea causa mihi amicum fuisse, non sua.

nisi

nisi hoc dicis sua, quod interest omnium recte facere. si id dicis; uicimus id enim uolumus, id contendimus, ut officij fructus sit ipsum officium. hoc ille tuus non uult, omnibusque ex rebus uoluptatem, quasi mercedem, exigit. Sed ad illum redeo. Si uoluptatis causa cum Gallo apud Anienem depugnauit prouocatus; & ex eius spolijs sibi & torquem, & cognomen inducit ul-

lam aliam ob causam, nisi quod ei talia facta digna uiro uidebantur: fortem non puto. Iam, si modestia, si pudicitia, si uno uerbo temperantia poenae, aut infamiae metu coercerentur, non sanctitate sua se tuebuntur: quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet, & proijciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia?

EXPLANATIO

Cur Chius, Appofui notam, quam ad mendas indicandas consuetudo iam recepit. antiquus liber nihil mutat; historia nihil, ego quidem quod meminerim, suppeditat, quattuor puto colligi Epicureos, L. Thorium, Balbum Lanuuinum, de quo proxime facta mentio est; Postumium, quem ignoramus; Curium tertio loco si ponamus, (nec tamen Curius a Cur Chius longe distat) eum esse dicemus, de quo legimus in Pediano uerficulum illum Calui,

Et talis Curius pereruditus.

C. uero Sergius Orata nominatur a Cicerone lib. II. de Off. & Valerio lib. IX. cap. 54. Haec Paullus pater. Non metuet autem, siue celare poterit, siue, & c. Sequor sententiam, & emendo, adiuuante Maffei libro: Non metuet autem, siue celare poterit, siue opibus magnis, quidquid fecerit, obtinere, certe quod malit existimari bonus uir, ut non esse, ut non putetur. Est autem hic, Obtinere pro tueri, & defendere, ut in oratione pro Quinctio: Non ad mendacium obtinendum, sed ad uerum probandum auctoritas adiuuat. omnino & Maffei uetus liber habet, Siue opibus magnis, non, Siue opibus maius. Haec Paullus pater, *NVLAM aliam ob causam*, admonitus ab ipsa sententia, Vllam reposui. Haec Paullus pater.

CICERO

Quid illud, Torquate, quale tandem uidetur te, isto nomine, ingenio, gloria, quae facis, quae cogitas, quae contendis, quo referas, cuius rei causa perficere, quae conaris, uelis, quid optimum denique in uita indices, non audere in conuentu dicere? quid enim mereri uelis iam, cum magistratum inieris, & in concionem adscenderis, (est enim tibi edicendum, quae sis obseruaturus in iure dicendo; & fortasse etiam, si tibi erit uisum, aliquid de maioribus tuis, & de te ipso dicere more maiorum) quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia uoluptatis causa facturum esse? te quid fecisse in uita, nisi uoluptatis causa? An me, inquis, tam amentem putas, ut apud imperitos isto modo loquar? At tu eadem ista dic in iudicio: aut, si coronam times, dic in senatu. numquam facies. cur, nisi quod turpis est oratio? Me ne ego, & Triarium dignos existimas, apud quos turpiter loquere? Verum esto: uerbum ipsum uoluptatis non habet dignitatem: nec nos fortasse intelligimus. Hoc enim identidem dicitis, non intelligere nos, uoluptatem quam dicatis. rem uidelicet difficilem, & obscuram, indiuidua, & intermundia, quae nec sunt ulla, nec possunt esse, intelligimus: uoluptas, quae passeribus omnibus nota est, a nobis intelligi non potest: quid, si efficio, ut fateare, me non modo, quid sit uoluptas, scire, (est enim incundus motus in sensu) sed etiam, quid eam tu uelis esse? tum enim eam ipsam uis, quam modo ego dixi; & nomen in pomis, in motu ut sit, & faciat aliquam uarietatem: tu aliam quandam summam uoluptatem, cui addi nihil possit, eam tu adesse, cum dolor omnis absit, eamque stabilem appellas. sit sane ista uoluptas, dic in quouis conuentu, te omnia facere, ne doleas. si ne hoc quidem satis ample, satis honeste dici putas; dic te omnia & in

isto magistratu, & in omni uita utilitatis tuae causa facturum, nihil, nisi quod expediat, nihil denique, nisi tua causa: quem clamorem concionis, aut quam spem consulatus eius, qui tibi paratissimus est, futuram putes? eam ne rationem sequare, qua tecum ipse, & cum tuis utare; profiteri autem, & in medium proferre non audeas? at uero illa, quae Peripatetici, quae Stoici dicunt, semper tibi in ore sunt, in iudicijs, in senatu, officium, equitatem, dignitatem, fidem, recta, honesta, digna imperio, digna populo. omnia pericula pro rep. mori pro patria. haec cum loqueris, nos Barones stupemus, tu uidelicet tecum ipse rides. nam inter ista tam magnifica uerba, tamque praeclara non habet ullum uoluptas locum, non modo illa, quam in motu esse dicitis, quam omnes urbani, rustici, omnes, inquam, qui Latine loquuntur, uoluptatem uocant; sed ne haec quidem stabilis, quam praeter uos, nemo appellat uoluptatem. uide, ne non debeas uerbis nostris uti, sententijs tuis. quod si uultum tibi, si incessum fingeres, quo grauior uiderere; non esses tui similis: uerba tu fingas, & ea dicas, quae non sentias, aut etiam, ut uestitum, sic sententiam habeas aliam domesticam, aliam forensem, ut in fronte ostentatio sit, intus ueritas occultetur? uide, quae so, rectum ne sit. mihi quidem eae uerae uidentur opinionones, quae honestae, quae laudabiles, quae gloriosae, quae in senatu, quae apud populum, quae in omni coetu, concilioque proferendae sint; ne id non pudeat sentire, quod pudeat dicere. Amicitiae uero locus ubi esse potest, aut quis amicus esse cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? quid autem est amare, ex quo nomen amicitiae ductum est, nisi, uelle bonis aliquem affici quammaximis, etiam si ad se ex ijs nihil redeat?

EXPLA-

EXPLANATIO

R *EM uides obscuram.* § Pro Vides, Videlicet, lego, nulla fere mutatione: nam in antiquis libris pro Videlicet scriptum quandoque Videl, quandoque etiam Vid. animaduerti. Haec Paullus pater.

CICERO

E *COYID* prodest, inquis, mihi eo esse animo? *Im-*mo, uideri, fortasse. esse enim, nisi eris, non potes: qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit? quod non sub dubia utilitatis ratione effici solet, sed ipsum a se oritur, & sua sponte nascitur. At enim sequor utilitatem. Manebit ergo amicitia tam diu, quam diu sequetur utilitas: & si utilitas amicitiam constituet, tollet eandem. Sed, quid ages tandem, si utilitas ab amicitia, ut fit saepe, desecerit? relinques ne? quae ista amicitia est? retinebis? qui conuenit? quid enim de amicitia statueris utilitatis causa expetenda, uides. Ne in odium ueniam, si amicum destitero tueri. Primum cur ista res digna odio est? nam quid est turpe, nisi quod est? Si, ne quo incommodo afficiare, non relinques amicum: tamen, ne sine fructu alligatus sis, ut moriatur, optabis. quod si non modo utilitatem tibi nullam afferet, sed iacturae rei familiaris erunt faciundae, labores suscipiendi, ad eundem uitae periculum: ne tum quidem te respicies, & cogitabis sibi quemque natū esse, et suis uoluptatibus: uadē te ad mortē tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille fecit Siculo tyranno? aut, Pylades tū sit, dices te esse Orestē, ut moriare pro amico? aut si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares? & si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non deprecareret faceres tu quidem, Torquate, haec omnia. nihil enim arbitror magna laude dignum, quod te

praetermissurum credam aut mortis, aut doloris metu, non quaeritur autem, quid naturae tuae consentaneum sit, sed quid disciplinae. ratio ista, quam defendis, praecepta, quae didicisti, quae probas, funditus evertunt amicitiam: quamuis eam Epicurus, ut facit, in caelum efferat laudibus. At coluit ipse amicitias. Quasi quis illum neget & bonum uirum, & comem, & humanum fuisse, de ingenio eius in his disputationibus, non de moribus, quaeritur. sit ista in Graecorum leuitate peruersitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de ueritate dissentiant. sed, quamuis comis in amicitijs tuendis fuerit: tamen, si haec uera sunt, (nihil enim affirmo) non satis acutus fuit. At multis se probauit. Et quidem iure fortasse: sed tamen non grauissimum est testimonium multitudinis. in omni enim arte, uel studio, uel quauis scientia, uel in ipsa uirtute, optimum quidq; rarissimum est. Ac mihi quidem, quod & ipse bonus uir fuit, & multi Epicurei fuerunt, & hodie sunt & in amicitijs fideles, & in omni uita constantes, & graues, nec uoluptate, sed officio consilia moderantes, hoc uidetur maior uis honestatis, & minor uoluptatis. ita enim uiuunt quidam, ut eorum uita refellatur oratio. atque, ut ceteri existimantur dicere melius, quam facere: sic hi mihi uidentur facere melius, quam dicere.

EXPLANATIO

P *ROFERENDAE sint: ne id pudeat* § quod tu facis: quem non pudet ea sentire, quae pudet dicere. Et quidem prodest, § Antiqui libri alij habent, Quid prodest; alij, Et quid prodest. emendo, Ecquid prodest: ut periodus interrogationis nota terminetur. Haec Paullus pater. *UTILITATIS causa expetenda,* § Tolle hoc: intelliges esse concinnius. nec sane requiritur a sententia: & glossema puto fuisse. Haec Paullus pater.

CICERO

S *ED* haec nihil sane ad rem, illa uideamus, quae a te de amicitia dicta sunt, e quibus unum mihi uidebar ab ipso Epicuro dictum agnoscere: amicitiam a uoluptate non posse diuelli, ob eamq; rem colendam esse, quod sine ea tuto, & sine metu uiui non posset, nec incunde quidem posset. Satis est ad hoc responsum. Attulisti aliud humaniorum recentiorum, numquam dictum ab ipso illo, quod sciam: primo utilitatis causa amicum expetere: cum autem usus accessisset, tum ipsum amari propter se, etiam omiſsa spe uoluptatis. hoc et si multis modis reprehendi potest: tamen accipio, quod dat: mihi enim satis est hijs non satis. nam aliquando

posse recte fieri dicunt nulla expectata, nec quaesita uoluptate. Posuisti etiam, dicere alios, foedus quoddam inter se facere sapientes, ut, quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos: & id & fieri posse, & saepe esse factum, & ad uoluptates percipiendas maxime pertinere. Hoc foedus facere si potuerunt, faciant etiam illud, ut aequitatem, modestiam, uirtutes omnes per se ipsas gratis diligant, at uero si fructibus, & emolumentis, & utilitatibus, amicitias colimus: si nulla caritas erit, quae faciat amicitiam ipsam sua sponte, ut sua, ex se, & propter se expetendam: dubium est, quin fundos, & insulas amicis anteponamus? Licet.

laudibus amicitiae dicta sunt: non quaero, quid dicat, sed quid conuenienter rationi possit, & sententiae suae dicere. Vtilitatis causa amicitia est quaesita: num igitur utiliore tibi hunc Triarium putas esse posse, quam si tua sint Puteolis gramina? Collige omnia, quae solent praesidium amicorum. satis est tibi in te, satis in legibus, satis & in mediocribus amicitijs praesidij: contemni iam non poteris; odium & inuidiam facile vitabis. ad eas enim res ab Epicuro praecepta dantur & tamen, non tantis negligabilibus ad liberalitatem utens, etiam sine hac Pyladea amicitia, multorum te benevolentia praeculare & tuebere, & munies. At quicum iocata, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta om-

nia? tecum optime, deinde etiam cum mediocri amico, sed fac ista esse non inopportuna; quid ad utilitatem tantae pecuniae? Vides igitur, si amicitiam sua caritate metiare, nihil esse praestantius; sin emolumento, summas familiaritates praediorum pretiosorum mercede superari. me ipsum igitur ames oportet, non mea; si veri amici futuri sumus. Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus. perfecto enim, & concluso, nec uirtutibus, nec amicitijs usquam locum esse, si ad uoluptatem omnia referantur, nihil praeterea magnopere dicendum. attamen, ne cui loco non uideatur esse responsum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam.

EXPLANATIO

AMICITIAM a uoluptate non posse diuelli, ob eamque rem colendam esse, quod sine ea tuto, & sine metu uiui non posset, nec iucunde quidem posset. § Quanto rectius hoc modo: Quod si sine ea tuto, & sine metu uiui non posset, nec iucunde quidem posset, procedit enim argumentum.

Vbi tuto non uiuitur, iucunde uiui non potest:

Sed sine amicitia tuto non uiuitur:

Ergo sine amicitia iucunde uiui non potest. Haec Paullus pater.

Si tua sint Puteolis gramina? Sic omnes, quos ego quidem uiderim, antiqui libri, nec mihi tamē ulla ratio persuaserit, scripsisse Ciceronem, Gramina. cur ita credam, elegantiore praeditis ingenio & accurata legendi Ciceronis consuetudine, tritas aures habentibus, non arbitror obscurum esse posse. Fateor autem cum emendare sim conatus, minime rem e sententia successisse. & est omnino difficilius, uerum inuenire, quam falsum indicare. tantum illud, studio ueritatis, aperte significandum putavi, nec mihi locum, uideri carere mendo, neque eorum, qui emendare conati sunt, sententiam ualde probare. Haec Paullus pater. PUTEOLIS: nota ciuitas Campaniae.

CICERO

QUONIAM igitur omnis summa philosophiae ad beate uiuendum refertur; idque unum experientes homines se ad hoc studium contulerunt; beate autem uiuere alij in alio, uos in uoluptate ponitis, contra, miseriam omnem in dolore: id primum uideamus, beate uiuere uestrum quale sit. atque hoc dabitur, ut opinor, si modo sit aliquid, esse beatum, id oportere totum poni in potestate sapientis. nam, si amitti uita beata potest, beata esse non potest. quis enim confidit, semper sibi illud stabile, & firmum permanurum; quod fragile, & caducum sit? qui autem diffidet perpetuitati bonorum suorum; timeat, necesse est, ne aliquando, amisissis illis, sit miser: beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest: nemo igitur esse beatus potest, neque enim in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis uita beata dici solet: neque appellatur omnino uita beata, nisi confecta, atque absoluta: nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser. qui enim existimabit posse se miserum esse, beatus non erit. nam, cum semel est suscepta beata uita; tam permanet, quam ipsa illa effectrix beatae uitae sapientia; neque expectat ultimum tempus aetatis: quod Croeso scribit Herodotus praeceptum a Solone. etenim, quemadmodum tute dicebas, negat Epicurus diuturnitatem quidem temporis ad beate uiuendum aliquid afferre, nec minorem uoluptatem percipi in breuitate temporis, quam si illa sit sempiterna. Haec dicuntur inconstatissime. cum enim summum bonum in uoluptate ponat, negat in infinito tempore aetatis uoluptatem fieri maiorem, quam finito, at-

que modico. qui bonum omne in uirtute ponit, is potest dicere, perfici beatam uitam perfectione uirtutis: (negat enim summo bono afferre incrementum diem) qui autem uoluptate uitam effici beatam putabit; qui sibi is conueniet, si negabit uoluptatem crescere longinquitate? igitur ne dolorem quidem. an dolor longissimus quisque miserimus, uoluptatem non optabiliorem diuturnitas facit? quid est igitur, cur ita semper deum appellet Epicurus beatum, & aeternum? dempta enim aeternitate, nihil beatior Iuppiter, quam Epicurus. uterque enim summo bono fruatur, id est uoluptate. at enim hic etiam dolore: nam eum nihil facit: aut enim se, si uratur, quam hoc suauē, diciturum. qua igitur re a deo uincitur, si aeternitate non uincitur? in qua quid est boni, praeter summam uoluptatem, & eam sempiternam? quid ergo attinet gloriose loqui, nisi constanter loquere? In uoluptate corporis (addam, si uis, aut mi, dum in ea ipsa, ut uultis, sit, quod & in corpore) firum est uiuere beate. Quid est istam uoluptatem perpetuam quis potest praestare sapienti? nam, quibus rebus efficiuntur uoluptates, haec non sunt in potestate sapientis. non enim in ipsa sapientia positum est, beatum esse, beatum esse, sed in ijs rebus, quas sapientia comparat ad uoluptatem. totum autem id externum: & quod externum, id in casu est. ita fit beatae uitae domina fortuna: quam Epicurus aut exiguam interuenire sapientii. Age, inquit, ista parua sunt. sapientem locupletat ipsa natura: cuius diuitias Epicurus ipse parabiles esse docuit.

K

EXPLA-

EXPLANATIO

ETENIM, quemadmodum tute dicebas, § Non reddit rationem superioris sententiae, quod beatam appellari uitam perpetuitate temporis dixerat; sed opponit Epicuri opinionem, negantis diurnitate temporis augeri beatam uitam. quod refellit infra, in eo loco, Haec dicuntur inconstantissime. uideant igitur eruditi, an sit aptius, quod mihi quidem uidetur, At enim, pro Etenim, uerecunda, ut ita dicam correctione, quae unam modo litteram mutet. Haec Paullus pater.

CICERO

HAEC bene dicuntur: nec ego repugno: sed inter se ipsa pugnant. negat enim tenuissimo uictu, id est contemptissimis escis, & potionibus, minorem uoluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum. Huic ego, si negaret quidquam interesse ad beatam uiuendum, quali uteretur uictu; cōcederem, laudarem etiam: uerum enim diceret: idq. Socratem, qui uoluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim: sed qui, ad uoluptatem omnia referens, uiuit ut Gallonius, loquitur ut Frugi ille Piso, non audio, nec enim eum, quod sentiat, dicere existimo. Naturales diuitias dixit parabiles esse, quod paruo esset natura contenta. Certe, nisi uoluptatem tanti aestimaretis. Non minor, inquit, uoluptas percipitur tam ex uilissimis rebus, quam ex pretiosissimis. Hoc est non modo cor habere, sed ne palatum quidem, qui enim uoluptatem ipsam contemnunt, ijs licet dicere, se acipenserem menae non anteponere: cui uero in uoluptate summum bonum est, huic omnia sensu, non ratione, sunt iudicanda: eaq. dicenda optima, quae sint suauissima. Verum isto modo consequatur summam uoluptatem non modo paruo, sed ferme nihilo, si potest: sit uoluptas non minor in nasturtio illo, quo uesci Persas esse solitos scribit Xenophon, quam in Syracusanis mensis, quae a Platone grauiter uituperantur: sit, inquam, tam facilis, quam uultis, uoluptatis comparatio: quid

de dolore dicemus? cuius tanta tormenta sunt, ut in his beata uita, si modo dolor summum malum est, esse non possit. ipse enim Metrodorus, paene alter Epicurus, beatum esse describit his fere uerbis: cum corpus bene constitutum sit, & sit exploratum ita futurum. an id exploratum cuiquam potest esse, quo modo sese habiturum sit corpus non dico ad annum, sed ad uesperam? dolor igitur, id est summum malum, metuetur semper, etiam si non aderit: iam enim adesse poterit, qui potest igitur habitare in beata uita summi mali metus? Traditur, inquit, ab Epicuro ratio negligendi doloris. Iam ipsum absurdum, maximum malum negligi: sed quae tandem ista ratio est? Maximus dolor, inquit, breuis est. Primum, quid tu dicis breue? deinde, dolorem tam maximum? quid enim? summus dolor plures dies manere non potest? uide, ne etiam menses, nisi forte cum dicis, qui, simul atque arripuit, interficit: quis istum dolorem timeret? illum, mallem, leuare, quo optimum, atque humanissimum uirum, Cn. Octauium, M. filium, familiarem meum, confici uidi; nec uero semel, nec ad breue tempus, sed & saepe plane, & diu, quos, dii immortales, ille, cum omnes artus ardere uiderentur, cruciatus perferebat? nec tamen miser esse, quia summum id malum non erat, tantummodo laboriosus uidebatur. at miser, si inuitiosa, & flagitiosa uita afflueret uoluptatibus.

EXPLANATIO

AUDIO dicentem, § apud Xen. l. i. d. πομπημον. § Non minor, inquit, uoluptas percipitur tam ex uilissimis rebus, quam ex pretiosissimis. § Quis non uidet, abundare Tam? VERVM isto modo consequatur summam uoluptatem? Placet: Verum esto: consequatur summam uoluptatem. Haec Paullus pater. In nasturtio illo, quo uesci Persas esse solitos scribit Xenophon, § in Cyri Pedia, l. i. Nasturtium Graeci uocant *καρδαμύνη*, eo quod cor iuuat. Dioscorides ualere aduersus uenena asserit: Galenus dicit esse causticae facultatis, & calidissimae. SYRACUSANIS mensis § lautissimis. PRIMVM, quid tu dicis breue? deinde dolorem tam maximum? Statui iam, quidquid in mentem uenit, cum studiosis communicare: ut, si iudicium minus probabunt, uoluntatem saltem ament, malim igitur sic: Dolorem quem maximum? Quod enim posuerat Epicurus, Maximus dolor breuis est: id examinat dupliciter, quaeritque, eequid breue dicat, eequem dolorem maximum? A sententia igitur minimum discedo, a litterarum similitudine magis, quam uellem, & quam nostrum postulat institutum. nec tamen ita sumus in hac emendandi ratione rudes, ut ab ijs libris, quibus nunc utimur impressis, eos, qui olim scripti sunt, insigni quadam differentia non numquam diuersos esse nesciamus. Placet igitur *καρδαμύνη* illa, quoties aliquid opinor, aut pronunatio de corruptis locis; cum non nulli suas opiniones improbantibus ita succenseant, ut inimicitias indicant. Haec Paullus pater.

CICERO

QUOD autem magnum dolorem breuem, longinquum leuem esse dicitis: id, non intelligo, quale sit. uideo enim & magnos, & eosdem longinquos dolores. quaedam alia toleratio est uerior: qua uti nos non potestis, qui honestatem ipsam per se non amatis. fortitudinis quaedam praecipua sunt; ac paene leges, quae effici-

effeminari uirum uetant in dolore. quamobrem turpe putandum est, non dico dolere, (nam id quidem est interdum necesse) sed saxum illud Lemnium clamore Philoctetae fume stare:

Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando, multum flebiles uoces refert.

Huius Epicurus comparat se, si potest:
Cui uiperino morsu uenae uiscerum
Veneno imbutae taetros cruciatus cient.

sit Epicurus Philocteta. Si grauis dolor, breuis, at iam decimum annum in spelunca iacet. Si longus, lenis: dat enim interualla, & relaxat. primum, non saepe: deinde, quae est ista relaxatio, cum & praeteriti doloris memoria recens est, & futuri, atque impendentis torquet timor? Moriatur, inquit, fortasse id optimum: sed, ubi illud, plus semper uoluptatis? se enim ita est; uide, ne facinus facias, cum mori suadeas. potius ergo illa dicatur, turpe esse uiro, debilitari dolore, frangi, succumbere.

nam ista uestra; si grauis, breuis; si longus, lenis; dictata sunt. uirtutis, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet. audi, (ne longe abeam,) moriens quid dicat Epicurus: & intellige, facta eius cum dictis discrepare.

Epicurus Hermacho salutem.

Cum ageremus, inquit, uitae beatum, & eundem super premium diem, scribebamus haec. tanti autem morbi aderant uescicae, & uiscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere.

Ecce miserum hominem, si dolor summum malum est. dici aliter non potest. sed audiamus ipsum.

Compensabatur tamen, inquit, cum his omnibus animi laetitia, quam capiebam memoria rationum, inuentorumque nostrorum. Sed tu, ut dignum est tua erga me, & erga philosophiam uoluntate, ab adolescentia suscepta, fac, ut Metrodori tuare liberos.

EXPLANATIO

SAXUM illud Lemnium? In Lemno insula maris Aegaei, saxum est, ubi Philocteta Paeanis filius, cui Hercules, cum in numerum deorum reciperetur, arma in Oeta monte reliquerat, casu Lerneae sagittae uulneratus iacuit. **Q**UOD eiulatu, & Versus sunt Attij poetae de Philocteta. **H**UIC Epicurus comparat se, si potest: & antea mendose: Huius Epicurus competenter, & si qui potest. Haec Paullus pater.

CICERO

NON ego iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono. quorum alter, cum uicisset Lacedaemonios apud Mantinea, simulque ipse graui uulnere exanimari se uideret; ut primum despexit, quae sinit, saluus ne esset clypeus: cum saluum esse stantes sui respondissent, rogauit, essent ne fusi hostes: cumque id quoque, ut cupiebat, audiisset, euellit insit eam, qua erat transfixus, hastam. ita, multo sanguine profuso, in laetitia, & in uictoria est mortuus. Leonidas autem, rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis, trecentosque eos, quos eduixerat Sparta, cum esset proposita aut fuga turpis, aut gloriosa mors, opposuit hostibus. praeclarae mortes sunt imperatoriae: philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur. refert tamen, quod sibi uidetur esse morienti magna laus. Compensabatur, inquit, cum summis doloribus laetitia. Audio equidem philosophi uocem, Epicure: sed, quid tibi dicendum sit, oblitus es. primum enim, si uera sunt ea, quorum recodatione te gaudere dicis, hoc est, si uera sunt tua scripta, & inuenta; gaudere non potes. nihil enim iam habes, quod ad corpus referas. est autem a te semper dictum, nec gaudere quemquam, nisi propter corpus, nec dolere. Praeteritis, inquit, gaudeo. Quibusnam praeteritis? si ad corpus pertinentibus: rationes tuas te uideo compensare cum istis doloribus, non memoriam corpore perceptarum uoluptatum. si autem ad animum: falsum est, quod negas animi uillum esse gaudium, quod non referatur ad corpus. Cur deinde Metrodori liberis commendas? quid ex isto tuo egregio officio, & tanta fide (sic enim existimo) ad corpus refers? Huc, & illuc, Torquate, nos uertetis licet: nihil in hac praeclara epistola scriptum ab Epicuro congruens, & conue-

niens decretis eius reperietis. ita redarguitur ipse a se, ueneuntque scripta eius probitate ipsius, ac moribus. nam ista commendatio puerorum, memoria, & caritas amicitiae, summorum officiorum in extremo spiritu conseruatio, indicat innatam esse homini probitatem gratuitam, non mutuam uoluptatibus, nec praemiorum mercedibus euocatam. quod enim testimonium maius quaerimus, quae honesta, & recta sint, ipsa esse optabilia per sese, cum uideamus tanta esse officia morientis? sed, ut epistolam laudandam arbitror eam, quam modo totidem fere uerbis interpretatus sum: (quamquam ea cum sententia eius philosophi nullo modo congruebat) sic eiusdem testamentum non solum a philosophi grauitate, sed etiam ab ipsius sententia iudicio discrepare. scripsit enim & multis saepe uerbis, & breuiter, apteque, in eo libro, quem modo nominavi, mortem nihil ad nos pertinere: quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu: quod autem sine sensu sit, id nihil omnino ad nos pertinere. hoc ipsum elegantius poni, meliusque potuit, nam, quod ita positum est, quod dissolutum sit, id esse sine sensu; id eiusmodi est, ut non satis plane dicat, quid sit dissolutum. sed tamen intelligo, quid uelut quaero autem, quid sit, quod cum dissolutione, id est morte, sensus omnis exstinguatur; & cum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate, tamque diligenter caueat, & sanciat, ut Amynomachus, & Timocrates, heredes sui, de Hermachi sententia dent, quousque satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis mese Gamelione; itemque, omnibus mensibus uicesimo die lunae dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sunt; ut & sui, & Metrodori memoria colatur.

EXPLANATIO

APVD Mantineam ꝛ Arcadiae ciuitatem, in medio Peloponneſi, ut eſt apud Heſychium & Stephanum de urbibus. Vt primum deſpexit, ꝛ An, Diſpexit ꝛ fortalſe ꝛ ut ſit: ad eos, qui circum ad ſta bant, oculos conuertit. IN Thermopylis, ꝛ Thermopylae ſunt in aditu Peloponneſi. SPARTA, ꝛ In media Peloponneſo, dicta quoque Lacedaemon. MENSE Gamelione ꝛ Ianuarinſeſt Latinis: Iunoni Sacer.

CICERO

HAEC ego non poſſum dicere non eſſe hominis & belli, & humani: ſapientis uero nullo modo, phyſici praefertim, quem ſe ille eſſe uult, putare ullum eſſe cuiusquam diem natalem. quid ꝛ uere ne poteſt eſſe dies ſapientis, qui ſemel fuit ꝛ certe non poteſt. an eiusdem modi ꝛ ne id quidem, niſi cum multa amorum interceſſerint millia, & omnium ſiderum eodem, unde profecta ſint, fiat ad unum tempus reuerſio. nullus eſt igitur cuiuſdam dies natalis. at habetur. & ego ſcilicet id neſciebam. ſed, ut ſit, etiam ne poſt mortem coletur ꝛ idq. teſtamento cauebit is, qui uobis quaſi oraculum ediderit, nihil ad nos poſt mortem pertinere ꝛ haec non erant eius, qui innumerabiles mundos, infinitasq. regiones, quarum nulla eſſet ora, nulla extremitas, mente peragruiſſet. numquid tale Democritus ꝛ (ut alios omitam) hunc appello, quem ille unum ſecutus eſt. quod ſi dies notandus fuit; cum ne potius, quo natus, an cum quo ſapientis factus eſtꝛ non potuit, inquires, fieri ſapientis, niſi natus eſſet. iſto modo, ne ſi auia quidem eius nata non eſſet. Res tota, Torquate, non doctorum hominum, uelle poſt mortem epulis celebrari memoriam ſui nominis. quos quidem dies quemadmodum agaris, & in quaſtam hominum facietorum urbanitat. m. incurrais,

non dico. nihil opus eſt litibus. tantum dico, magis fuiſſe ueſtrum, agere Epicuri diem natalem, quam illum teſtamento cauere, ut ageretur. Sed, ut ad propoſitum reuertamur, (de dolore enim cum aiceremus, ad iſta epiſtolam delati ſumus) nunc rotum illud concludi ſic licet. Qui in ſummo malo eſt, iſte, cum in eo eſt, non eſt beatus. ſapienter autem ſemper beatus eſt, & eſt aliquando in dolore: non eſt igitur ſummuſ malum dolor. Iam illud quale tandem eſt ꝛ bona praeterita non eſt ſuere ſapienter, mala meminiffe non oportere. Primum, in noſtra ne poteſtate eſt, quid meminimus ꝛ Themistocles quidem, cum ei Simonides, an quis alius, artem memoriae polliceretur, obliuioniſ, inquit, mallem: nam meminere etiam quae nolo, obliuiſci non poſſum quae uolo. magno hic ingenio: ſed res ſe tamen ſic habet, ut nimis imperioſi philoſophi ſit, uetare meminiffe. uide, ne iſta ſint Manliana ueſtra, aut maiora etiam, ſi imperes quod facere non poſſim. Quid, ſi etiam iucunda memoria eſt praeteritorum malorum ꝛ ut prouerbia non nulla ueriora ſint, quam ueſtra dogmata. uulgo enim dicitur, iucundi acti labores. nec male Euripides, (concludam, ſi potero Latine: Graecum enim hunc uerſum noſtis omnes) Suauis eſt laborum praeteritorum memoria.

EXPLANATIO

CVM multa annorum ꝛ qui uertens annus. dicitur. de ſomnio ſcipionis: & Cenforinus de die natali.

CICERO

SED ad bona praeterita redeamus. quae ſi a uobis ſtalia dicerentur, qualibus C. Marius uti poterat, ut, expulſus, egens, in palude demerſus, trophaeorum recordatione leuaret dolorem ſuum: audirem, & plane probarem: nec enim abſolui beata uita ſapientis nec ad exitum perducere poterit, ſi prima quaeque, bene ab eo conſulta, atq. facta, ipſius obliuione obruentur: ſed uobis uoluptatum perceptarum recordatio beatam uitam facit, & quidem corpore perceptarum. na ſi quae ſunt aliae; falſum eſt, omnes animi uoluptates eſſe e corporis ſocietate. Corporis autem uoluptas etiam ſi praeterita delectat; non intelligo, cur Ariſtoteles Sardanapali epigramma taſ opere derideat, in quo ille rex Aſſyriae gloriatur ſe omnes ſecum libidinum uoluptates abſtuliffe. quod enim ne uiuus quidem, inquit, diutius ſentire poterat, quam dum fruebatur; quo modo id potuit mortuo permanere ꝛ fluit igitur uoluptas corporis, & prima quaeque auolat, ut aiebat; ſapienterq. re-

linquit cauſſas paenitendi, quam recordandi. itaque beator. Africanus cum patria illo modo loquens,

Deſine, Roma, tuos hoſtes:
reliqua praeclare,

Namque tibi monumenta mei peperere labores. laboribus hic praeteritis gaudet: tu iubes uoluptatibus. hic ſe ad ea reuocat, e quibus nihil umquam retulerit ad corpus: tu totus haeres in corpore. Illud autem ipſum qui obtineri poteſt, quod dicitis omnes animi & uoluptates, & dolores ad corporis uoluptates, & dolores pertinere ꝛ nihil ne te delectat umquamꝛ ui deo, qui cum loquar, te igitur, Torquate, ipſum per ſe nihil delectat ꝛ omitto dignitatem, honeſtatem, ſpeciem ipſam uirtutum, de quibus ante dictum eſt: haec leuio ra ponam: poema, aut orationem cum aut ſcribis, aut legis: cum omnium factorum, cum regionum conquiris hitoriam: ſignum, tabula, locus amoenus, ludu, uenatio, uilla Luculli, (nam, ſi tuam dicerem, latebram haberes,

res, ad corpus diceres pertinere) sed ea, quae dixi, ad corpus ne referas, an est aliquid, quod te sua sponte deleat? aut perimacissimus fueris, si in eo perliteris, ad corpus ea, quae dixi, referre: aut deserueris totam Epicuri uoluptatem, si negaueris. Quod uero a te disputatum est, maior esse uoluptates, & dolores animi, quam corporis; quia trium temporum particeps animus sit,

corpore autem praesentia solum sentiantur: qui probari potest, ut is, qui propter me aliquid gaudeat, plus, quam ego ipse, gaudeat? animi uoluptas oritur propter uoluptatem corporis; & maior est animi uoluptas, quam corporis: ita fit, ut gratulator laetior sit, quam is, cui gratuletur.

C I C E R O

Sed, dum efficere uultis beatum sapientem, cum maximas animo uoluptates percipiat, omnibusque partibus maiores, quam corpore; quid occurrat, non uideatis. animi enim quoque dolores percipiet omnibus partibus maiores, quam corporis. ita, miser sit aliquando, necesse esse, est, is, quae nos beatum semper uultis esse nec uero id, dum omnia ad uoluptatem, doloremque referetis efficietis unquam. quare aliud aliquid, Torquate, hominis summum bonum reperiendum est: uoluptatem bestiis concedamus; quibus uos de summo bono testibus uiri solentis. quid, si etiam bestiae multa faciunt duce sua quaeque natura, partim indulgenter, uel cum labore, ut in giugendo, in educando perfacile appareat aliud quiddam uis propositum, non uoluptatem; turtures & cursu, & peregrinatione laerantur: congregatione aliae coetum quodam modo ciuitatis imitantur. uidemus in quodam uolucrum genere non ulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam, in multis etiam disciplinam. ergo in bestiis erunt secreta a uoluptate humanarum quaedam simulacra uirtutum: in ipsis hominibus uirtus, nisi uoluptatis causa nulla erit; & homini, qui ceteris animantibus plurimum praestat, praecipui a natura nihil datum esse dicemus? nos uero, si quidem in uoluptate sunt omnia, longe multumque superamur a bestiis: quibus ipsa terra fundit ex sese pastus uarios, atque abundantes nihil laborantibus: nobis autem aut uix quiddam, aut ne uix suppetat, multo labore quaerentibus. Nec tamen ullo modo summum pecudis bonum, & hominis, idem mihi ui-

deri potest. quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concursu honestissimorum studiorum, tanto uirtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem, nisi ad uoluptatem, conquiruntur? ut, si Xerxes, cum tantis classibus, tantisque equestribus & pedestribus copiis, Helleponto iuncto, Athone perfosso, maria ambulauisset, terramque nauigauisset; si cum tanto impetu in Graeciam uenisset, causam eius quis ex eo quaereret tantarum copiarum, tantique belli; mel se afferre ex Hymetto uoluisse diceret; certe sine causa uideretur tanta conatus: sic nos sapientem, plurimis, & grauissimis artibus, atque uirtutibus instructum, & ornatum, non ut illum, maria pedibus peragrarem, classibus montes, sed omne caelum, totamque cum uniuerso mari terram mente complexum, uoluptatem petere si dicemus, mellis causa dicemus tanta molitum. ad altiora quaedam, & magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati sumus: nec id ex animi solum partibus; in quibus inest memoria rerum innumerabilium, uitae quidem infinita; inest coniectura consequentium; non multum a diuinatione differens; inest moderator cupiditatis pudor; inest ad humanam societatem iustitiae fida custodia; inest in perpetendis laboribus, adeundisque periculis firma, & stabilis doloris, mortisque contemptio: ergo haec in animis: tu autem etiam membra ipsa, sensusque considera: qui tibi, ut reliquae corporis partes, non comites solum uirtutum, sed ministri etiam uidebuntur.

EXPLANATIO

HELLESPONTO iuncto, § nauibus ordinatim dispositis. **ATHONE perfosso**, § Athon est mons Thraciae ut sensit Pomponius Mela, ut alij Macedoniae, hunc perforauit Xerxes. **MARIA nauigasset**, § refertur ad Hellepontium. **TERRAMQUE nauigasset**, § refertur ad Athonem montem perforatum. **MEL se afferre ex Hymetto uoluisse** § Cur non, Auferre? certe id postulat sententia. Haec Paullus pater. **Ex Hymetto**: § mons est Atticae abundans melle. **UITAE quidem infinita**; § Corruptus locus: quem ita putato esse emendandum, Et ea quidem infinita, nam & in Tuscuana 1. de animo loquens, Habet, inquit, memoriam, & eam infinitam, rerum innumerabilium.

C I C E R O

Quid, si in ipso corpore multa uoluptati praeposenda sunt, ut uires, ualetudo, uelocitas, pulchritudo? quid tandem in animis censes? in quibus doctissimi illi ueteres inesse quiddam caeleste & diuinum putauerunt, quod si esset in uoluptate summum bonum, ut dicitis: optabile esset, in uoluptate maxima, nullo interuallo interiecto, dies noctesque uersari, cum omnes sensus dulcedine omni quasi perfusi mouerentur. quis est autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum uelit esse in isto genere uoluptatis? Cyrenaeici quidem non recusant. uestri haec uerecundius: illi for-

ta se constantius. sed lustremus animo, non has maximas artes, quibus qui carebant inertes a maioribus nominabantur: sed quaero, num existimes, non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, sed Phidiam, Polycletum, Zeuxin ad uoluptates artes suas direxisse? ergo opifex plus sibi proponet ad formarum, quam ciuis excellens ad factorum pulchritudinem? quae autem est alia causa erroris tanti, tam longe, lateque diffusi, nisi quod is, qui uoluptatem summum bonum esse decernit; non cum ea parte animi, in qua inest ratio, atque consilium, sed cum cupiditate, id est cum animi leuissima parte, deliberat?

Quaero

Quaero enim de te: si sunt dii, ut uos etiam putatis, qui possunt esse beati, cum uoluptates corpore percipere nō possint? aut, si sine eo genere uoluptatis beati sunt; cur similem animi usum in sapiente esse nolitis? lege laudationes, Torquate, non eorum, qui sunt ab Homero laudati, non Cyri, non Agefilai, non Aristidis, non Themistoclis, non Philippi, non Alexandri, lege nostrorum hominum, lege uestrae familiae: neminem uidebis ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum uoluptatum diceretur, non elogia monumentorum id significā? uelut hoc ad portam: Vno ore cui plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse uirum, id ne consensisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse, quod praestantissimus fuisset in consue-

dis uoluptatibus? Ergo in ijs adolescentibus bonā spem esse dicemus, & magnam indolem, quos suis commodis inseruituros, & quidquid ipsis expediat, facturos arbitramur? non ne uidemus, quanta perturbatio rerum omnium consequatur, quanta confusio? tollitur beneficium: tollitur gratia: quae sunt uincula concordiae, nec enim, si tuam ob causam cuiquam commodas, beneficium illud habendum est, sed feneratio: nec gratia de beri uidetur ei, qui suam ob causam commodauerit. Maximas uero uirtutes iacere omnes necesse est, uoluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimae, quae, nisi honestas natura plurimum ualeat, cur non cadant in sapientem, non est facile defendere.

EXPLANATIO

AD portam } Capenam. Tusc. libr. I. Vno ore cui plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse uirum. } Fortasse legendum: Ore uno, quem, plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse uirum. In libro etiam de senectute, ubi est, In quem, illud eulogium, Vnicum plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse uirum; eodem modo legerem, Ore uno, quem, plurimae &c. cum ueteres libri alij habeant, Ore uno plurimae: alij, Ore uno cum plurimae. Verbum autem, Vnicum opinor inde natum, quod librarius in describendo omisit, Ore, cumq. remansisset, Vno quem, unde elici sententia nulla poterat, factum est Vnicum: ut, quod negligentia mutilauerat, impudentia deprauaret. Nisi dicamus, Cui, pro, ad cuius laudem usurpatum esse. Quod mihi quidem non displicet, qui non libenter ab antiquis libris discedam. Haec Paullus pater.

CICERO

AC. ne plura complectar, (sunt enim innumerabilia) bene laudata uirtus uoluptatis aditus intercludat, necesse est. quod iam a me expectare noli: tunc introspecte in mentem tuam ipse: eamq. omni cogitatione pertractans, percunctare ipse, perpetuis ne malis uoluptatibus perfluens, in ea, quam saepe usurpabas, tranquillitate degere omnem aetatem sine dolore, assumpto etiam illo, quod uos quidem adiungere soletis, sed fieri non potest, sine doloris metu; an, cum de omnibus gentibus optime mererere, cum opem indigentibus, salutemq. ferres. uel Hercules perpeti aerumnas: sic enim maiores nostri labores non fugiendos, tristissimo tamen uerbo, aerumnas etiam in deo nominauerunt. exigerem ex te; cogere meque, ut responderes: nisi uererer, ne Herculem ipsum ea, quae pro salute gentium sum-

mo labore gessisset, uoluptatis causa gessisse diceres. Quae cum dixissem; habeo, inquit Torquatus, ad quos ista referam: & quamquam aliquid ipse poteram, tamen inuenire malo paratiores familiares nostros. Credo, Syronem dicis, & Polidemum, cum optimos uiros, tum doctissimos homines. Recte, inquit, intelligis. Age sane, inquam: sed erat aequius, Triarium aliquid de nostra disensione iudicare. Immo, inquit arridens, iniquum, hac quidem de re. tu enim ista lenius: hic Stoicorum more nos uexat. Tum Triarius, posthac quidem, inquit, audacius: nam haec ipsa mihi erunt in promptu, quae modo audiui: nec ante aggrediar, quam te ab istis, quos dicis, instructum uidero. Quae cum essent dicta, finem fecimus & ambulandi, & disputandi.

EXPLANATIO

AUDACIUS: } agam contra Epicureos.



IN
M. TVLLII. CICERONIS
DE. FINIBVS
BONORVM. ET. MALORVM

LIBRVM. III.

Commentarius Aldi Mannuccij



CICERO



VOLVPTATEM equidem, Brute, si ipsa pro se loquatur, nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror, conuictam superiore libro, dignitati. etenim sit impudens, si uirtuti diutius repugnet; aut si honestis incunda anteponat; aut pluris esse contendat dulcedinem corporis, titillan-tem ex ea re natam laetitiam, quã gratuitatem animi, atque constantiam. quare illam quidem dimittamus, & suis se finibus tenere inbeamus; ne blanditijs eius, illecebrisq. impediatur disputandi seueritas. quaerendum est enim, ubi sit illud summum bonum, quod reperire uolumus; quoniam & uoluptas ab eo remota est; & eadem fere contra eos dici possunt, qui uacuitatem doloris finem bonorum esse uoluerunt. nec uero ita uolum probetur summum bonum, ut uirtute careat, qua nihil potest esse praestantius. itaque, quamquam in eo sermone, qui cum Torquato est habitus, non remissi fuimus; tamen haec acrior est cum Stoicis parata contentio. quae enim de uoluptate dicuntur, ea nec acutissi-

me, nec abscondite disseruntur. neque enim, qui defendunt eam, uersuti in disserendo sunt: nec, qui contra dicunt, causam difficilem repellunt. ipse etiam dicit Epicurus, ne argumentandum quidem esse de uoluptate, quod sit postremum eius iudicium in sensibus; ut commoueri nos satis sit, nihil atineat doceri. quare illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio. nec enim in Torquati sermone quidquam implicatum, aut tortuosum fuit; nostraq. ut mihi uideretur, dilucida oratio. Stoicorum autem, non ignoras, quam sit subtile, uel spinosum potius disserendi genus, idq. cū Graecis, tum magis nobis, quibus etiam uerba parienda sunt, imponendaq. noua nouis rebus nomina. quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cuius usus uulgaris communisq. non sit, multam nouitatem nominum esse; cum constituantur earum rerum uocabula, quae in quaque arte uersentur. itaque & dialectici, & physici uerbis utuntur ijs, quae ipsi Graeciae nota non sunt. geometrae uero, musici, grammatici etiam more quodam loquuntur suo. item ipsae rhetorū artes, quae sunt totae forenses, atque populares, uerbis tamen in docendo quasi priuaris utuntur, ac suis.

CICERO

ATQUE, ut omittam has artes elegantes, & ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi uocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis si bi. Quin etiam agricultura, quae abhorret ab omni politiore